BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
22 F
32 M

PORPHYRII

DE ABSTINENTIA

AB ESV ANIMALIVM

LIBRI QVATVOR.

K
IV
40

X
VI

Domus Professorum Romanae Soc. Jesu ex legato Gio. Racyneli: Bib. Com.

PORPHYRII

DE ABSTINENTIA

AB ESV ANIMALIVM, LIBRI QVATVOR,

IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.

Bibliotheca Col. S. Pancratii

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTOR.

Cum Summi Pontificis, & Senatus Veneti priuilegio in annos X.

Ex dono F. Paulini a S. Bartholomeo Car. Ex: Miss. Ap. 1806

12 22 F 32

ALOISIO MICHAELIO IOANNES BERNARDVS FELICIANVS S.

QVantum ſtudium à ueteribus moderandis ac componendis moribus ſemper adhibitum fuerit, perſpicuum eſſe unicuiq; poteſt, qui ueterem philoſophandi rationem conſiderarit. Omnes ſiquidem philoſophorum ſcholæ inſtituendæ uitæ magis q̃ contemplandi & cognoſcendi cauſa habitæ fuiſſe conſpiciuntur. Id quod & antiqua Pythagoræ diſciplina declarat, & Socratis poſtea inſtitutio: è cuius diſputationibus omnis ciuiliter & morate uiuendi ratio emanauit: quam cum alii multi, tum duo illa ſplendida ſapientiæ lumina Plato & Xenophon grauisſime, & elegantisſime literarum monumentis poſteris tradiderunt. Cum enim homini non tam inueniendi beatitudinem, quàm adipiſcendi natura inſita cupiditas ſit: non ſatis eſſe philoſophi exiſtimarunt, ſi in felicitate inuenienda elaboraſſent, niſi modum etiam excogitaſſent, quo conſequi eam poſſemus. Sicut autem naturæ rerum inueſtigatio uiam ad primam omnium cauſam, primumq́; omnium auctorem deum inueniendum

nobis præmunit: ita uitæ integritas ac puritas, quam imitando dei bonitatem in nobis effingimus, facit, ut ad eum posſidendum idonei reddamur. Summa etenim bonitatis ac probitatis uis ex eo perſpici facile poteſt, quod nulla neque actio, neque oratio ne apud improbos quidem habet auctoritatem, niſi aut probitas, aut probitatis ſaltem ſpecies aliqua ſubſit. nam re uera quicquid ſoliditate probitatis ſtabilitum ac ſuffultum non eſt, id quantolibet ingenio & artificio compoſitum ſit, uanum ac ridiculum, id quod eſt, tandem apud omnes appareat, ac contemnatur, neceſſe eſt. Vnde non immerito Aloiſi clariſsime licet & generis nobilitate, & opibus, & ingenio excellas, ita tamen moderate & ſancte uitam tibi inſtituendam duxiſti, ut hanc philoſophiæ partem quæ ad mores ſpectat, quam philoſophiæ animam appellare conſueuiſti, mirum in modum fueris complexus, ut eum decet, qui re uera bonus ſit, & πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένος ἐκ Διὸς ἔρνος; ut inquit ille: id quod & genere uitæ quam traducis, tranquilliſsimo præ te fers, & cogitationibus nobiliſsimis, quibus quotidie animum tuũ à mundi turbationibus, uulgiq; colluuie ſublatũ conſeruas. Quapropter cum illi ẽt ſcriptores tibi ſummopere placuerint, qui non ſolum ſubtilibus & acutis diſputationibus ueritatem indagarent, uerum-

etiam

etiam ſimul uitam hominis ita inſtruerent, atque expurgarent, ut ad illam τὴν ὁμοίωσιν τοῦ θεοῦ κατὰ τὸ δυνατὸν, ut uolebat Plato, mentes noſtras attollèrent: hortabaris itentidem, atque etiam iure tuo mihi imponebas, ac mandabas, ut ſiquid eiuſmodi inter antiquos auctores inuenire poſſem, è tenebris eruerem, daremq; operam, ut id latine etiam, quo cum pluribus communicaretur, in lucem exiret. Ego uero quamuis & aliis occupationibus diſtraherer, & mediocris eruditionis conſcientia deterrerer, mihi non eſſe tamen comittendum duxi, ut mandatis tuis aliqua ſaltem ex parte non obtemperarem: præſertim cum & eum qui mandaret, maxima obſeruantia ac ueneratione proſequerer: & illa quæ mandabantur, eſſe eiuſmodi uiderem, ut in eorum perſcrutatione uerſari non eſſe maxime utile non poſſet. Iccirco rem aggreſſus nonnullos huiuſcemodi græcos auctores conquiſiui: atque editionem ab hoc Porphyrii opere, auſpicari uolui, ratus fore ut tum ex auctoris nomine, tum ex re qua de agit, non iniucunda pleriſque eius lectio ſit. Porphyrius enim & in Platonica & in Ariſtotelica philoſophia adeo celebris habetur, ut uel ex nomine ipſo allicere ad ſe philoſophiæ ſtudioſos facile posſit. Opus autē ipſum uaria ac multiplici refertum eruditione eſt. de abſtinentia enim ab eſu anima-

lium cum agat, id non tam Pythagorice, quàm Platonice etiam, ac demum theologice pertractat. Quamuis enim & de animalium iniuria, & de dæmonum immundorum ui, quæ ex huiuscemodi cruentis dapibus latenter attrahitur, ex pythagoricæ, & Platonicæ disciplinæ decretis, qbusdãq; aliis huiusmodi nonnulla persequatur: omnia tamen eò spectant, sicut ipse etiam quasi uidetur interpretari, ut & nutrimento imminuto uinculum animæ, quod est corpus, extenuetur, ac debilitetur, quo mens ab affectuũ perturbationibus relaxata ascendere ad contemplanda & fruenda diuina liberius queat: & subtractis delicatioribus epulis tum parabilior uictus curam à grauioribus rebus non auocet, tum omnis gulæ occasio circuncidatur. Id quod nihil aliud argumenti habet, nisi ut ieiunii & abstinentiæ ratio non solum diuina, sed naturali etiam lege comprobata esse demonstretur. Vt autem omnia clarius constarent, non ab re esse duximus, si uitam quoque auctoris ab Eunapio conscriptam conuerteremus, atque operi ipsi anteponeremus. Vale.

PORPHYRII VITA EX EUNAPIO.

Porphyrius patria Tyrius, Tyrus autem princeps, ueterum Phœnicum urbs fuit, parentibus nō ignobilibus est exortus. is cum liberalem educationem esset consequutus, adeo profecit, ut Longini auditor cum extitisset, breui præceptorem suum honestarit. Longinus uero eo tempore uiuens quædam bibliotheca, & deambulans musæum habebatur: qui ad iudicanda ueterum scripta animum adiecerat: quemadmodum etiam ante illum cum multi alii, tum Dionysius è Caria qui celeberrimus omnium fuit. Porphyrius igitur cum patria Syrorū lingua prius Malchus appellaretur, id quod gentis eius idiomate regem significat: Porphyrius postea ad purpureæ regiæ uestis insigne appellatione transmutata, à Longino fuit nominatus. sub cuius disciplina bonarum literarum studiis optimam operam nauauit: atque ad summum & grammaticæ non secus atque ille, & rhetoricæ peruenit, nisi quòd propenso ad eam animo admodum non erat: in omniq; philosophiæ genere excultus fuit. Erat enim Longinus omnium

qui ea tempestate florebant, facile princeps. magnaq; librorum eius copia extat, admirationiq; habetur: ita ut si quis in ueteribus scriptoribus aliquid damnaret, non prius opinioni suæ acquiescendum putaret, quàm eò Longini quoq; iudicium accessisset. Cum itaque hoc modo prima eruditione Porphyrius fuisset institutus, omnibusq; esset conspicuus, maximam Romam uidendi desiderio tenebatur, ut sapientia ciuitatem obtineret. Quò ubi primum peruenit, diuiniq; Plotini consuetudinem iniit, aliorum omnium oblitus ei sese totum dedidit, eiusque disciplinæ insatiabili auiditate incumbens, diuinis illis è sacro fonte hauriendis disputationibus aliquandiu uacauit. postea contemplationum magnitudine superatus corpus suum odio prosequi cœpit, & ægre ferre, quòd homo esset. unde cum in Siciliam nauigasset, fretumq; charybdis traiecisset, quà Vlisses quoque iter fecisse dicitur: neque ciuitatem uidere, neque hominum uocem audire passus est: adeo prorsus doloris & uoluptatis sensum omnem deposuerat. atque ita ad Lilybæum quod ex tribus Siciliæ promontoriis unum est, quod in Libyam uergit, contento itinere profectus, ibi sese proiecit, & gemens ac tolerans, cibumq; nullum admittens iacebat, atque ut inquit ille, hominum uestigia uitans. At non exciuit

uana

uana exploratio in his magnum Plotinum. Nam confestim consequutus, seu quod ita præsagiret, seu ut iuuenem qui aufugerat, inquireret, iacentem ipsum illic deprehendit: uerbaq; ad eum excogitauit, quæ & animam iam iam è corpore auolaturam reuocaret, & corpus ad eam continendam corroboraret. atque ita is spiritu iam recuperato surrexit. ille uero uerba quæ dixerat, in librum retulit, ex iis qui scripti extant. Sed cum philosophi dicendi obscuritate, non secus ac poetæ fabulis, arcana occultarent: Porphyrius qui remedium diluciditatis approbasset, & experimento degustasset, commentationibus illustrans in lucem edidit. Ipse igitur Romam reuersus orandi studio uacauit, ita ut ostentationis etiam causa in publicum prodiret. Porphyrii tamen gloriam omnis concio, & omnis conuentus in Plotinum referebat. Plotinus enim ob cœlestem animæ uim, abstrusamque & ænigmaticam dicendi rationem, grauis & difficilis perceptu esse uidebatur. Porphyrius uero quasi Homerica quædam catena quæ ad homines demitteretur, uaria eruditione & scientia omnia ad facilitatem & perspicuitatem enunciabat. Atque ipse quidem inquit, sed fortasse iuuenis admodum ea scripserat, se in nullum publicum oraculum incidisse. & eodem in libro multa alia pertractat, quænam cura ha

benda horum ſit: ſeq́ꝫ dæmonicam quandam naturam è balneo quodam effugaſſe, atque eieciſſe, quam Cauſathan indigenæ appellarent. Cõdiſcipuli eius, ut ipſe ſcribit, præſtantisſimi quidam extiterunt, Origenes, & Amelius, & Aquilinus: quorum ſcripta extant: ſed nulla tamen in ipſis uenuſtas conſpicitur, licet dogmata & ſententiæ recte ſe habeant, uerbisq́ꝫ inſtent. Porphyrius tamen eloquentiam ac grauitatem horum uirorum laudat: cum ipſe & gratiam omnem ſuperet, & ſolus præceptorem manifeſtet, ac prædicet, nullumq́ꝫ eruditionis genus omiſerit. Mirari quippe ac dubitare unuſquiſque poteſt, quidnam ſit, cui potisſimum ille ſtuduiſſe uideatur: eane quæ ad oratoriam facultatem ſpectant, an quæ ad grammaticæ exactam inquiſitionem faciunt: quæ ad arithmeticam, an quæ ad geometriam, aut muſicam attinent. quæ item ad philoſophiam pertinent, iis ne quæ rationis ſunt, an quæ adminiſtrationis, præcipuum ſtudium impenderit, ambiguum eſt. Nam quæ ad naturalem & diuinam contemplationem ſpectant, adeo ſublimia ſunt, ut ſacris & myſteriis relinquenda eſſe uideantur. Ita ad omnem uirtutem concinnata quædam res uir ille extitit. Modo enim in ipſo quiſpiam uerba magis, quàm dogmata: modo decreta & ſententias, quàm dicendi uim admiraretur. Vxorem

autem

autem uidetur duxisse. nam ad Marcellam uxorem eius liber fertur: quam, licet quinq; liberorum mater esset, ea de causa inquit se duxisse, non ut filios ex ea susciperet, sed ut ii quos amicus suus ex ea iam susceperat, optime educarentur, atque instituerentur. Ad ultimam senectutem deuenisse, ac Romæ commutasse uitam fertur. His temporibus fuerunt etiam ii qui Athenis rhetoricam profitebantur, Paulus & Andromachus è Syria, usque ad Galeni & Claudii, Taciti item & Aureliani tempora: quibus uiguit etiam Dexippus, qui temporum historiam conscripsit, uir omni eruditione, & facultate logica instructissimus.

EIVSDEM VITÆ ATQ. OPERVM ENVMERATIO EX SVIDA.

Porphyrius é Phœniciæ urbe Tyro philosophus, qui patria ipsius lingua rex proprio nomine appellabatur, discipulus Amelii Plotini auditoris, & Iamblichi præceptor, Longini item critici auditor, q̃ plurimos libros tũ philo-

philoſophicos, tum rhetoricos, & grammaticos ſcripſit: De diuinis nominibus unum: De principiis duos: De materia ſex: De anima ad Boethum quinque: De abſtinentia ab eſu animalium quatuor: De eo quod à ſapiente dictum eſt, noſce te ipſum, quatuor: De incorporeis: Quòd una & eadem Platonis & Ariſtotelis ſecta ſit, ſeptem: In Iuliani Chaldæi philoſophi hiſtoriam quatuor: In categorias Ariſtotelis ad Gedalium ſeptem: In eaſdem categorias per interrogationem & reſponſionem unum: De Homeri philoſophia: Quòd ex Ariſtotelis ſententia anima ἐντελέχεια, hoc eſt perfectio ſit: Philoſophicæ hiſtoriæ quinque: De genere, ſpecie, differentia, proprio, & accidente: De Nili fontibus ex Pindari ſententia: De utilitate, quam ex Homero reges conſequi poſſunt, decem: Miſcellanearum quæſtionum ſeptem: In Thucydidis exordium ad Ariſtidem ſeptem: In Minuciani artem rhetoricam: & alia complura, & præcipue aſtronomica: inter quæ eſt introductio aſtronomiæ tribus libris abſoluta: & quæſtiones grammaticæ. Sub Aureliani imperio uiguit: & uſq; ad Diocliciani tempora peruenit.

POR-

PORPHYRII DE ABSTINENTIA AB ESV ANIMALIVM

LIBER PRIMVS.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

CVM ex iis qui iſtinc ad nos ueniebant, audiuiſſem, te abſtinentia a carnibus repudiatā, ad carnium eſum rurſus rediiſſe: primum id non credebam, & temperantiæ tuæ ratione habita, & pietatis, qua eos qui hæc nobis tradiderant, ueteres, & deum timentes uiros proſequebamur. Poſteaq̄ uero alii ſuperuenientes de te eadem mihi confirmarunt: ſi te reprehendere uoluiſſem, ꝙ neq; ut prouerbio dicitur, fugiſſes malum, ac bonum inueniſſes, neque ut Empedocles, priore uita deplorata ad meliorem reuertiſſes, tum ruſticum, tum procul à rationis perſuaſione mihi eſſe uidebatur: at ſi orationis coargutione errores detegiſſem, & ex quibus in quænā fuiſſes delapſus, manifeſtaſſem,

illud uero & mutua nostra amicitia dignum, & illis esse accõmodatum existimabam, qui ad ueritatem suam ipsorum uitam instituissent. Nam cum mecũ mutationis huiusce causam considero, sanitatem & uires, ut multa & uulgaris turba assereret, nequaq̃ esse ullo modo putarim: quippe cum econtrario & ad sanitatem & ad moderatam laborum philosophiæ tolerantiam uictum à carnibus alienum conferre, & tu ipse nobiscum uersans fatereris: & te uerum dicere cum hæc affirmares, experimento ipso cognoscere facile liceat. Vel igitur deceptione inductus, ꝙ siue hoc, siue illo modo uescaris, nihil referre ad prudentiam putes: uel aliam fortasse ob causam, quam ignoro, quæ maiorem terrorem incutere, q̃ uiolandi instituti impietas potuerit, ad priora peccata mihi uideris recurrisse. Non enim ob incontinentiam, aut gulosæ edacitatis causa unquam asseram te patrias philosophiæ leges quas admirabaris, ita contempsisse, atq; inferiorem natura esse imperitis atq; è uulgo hominibus quarundam nationum: qui ubi leges contrarias iis quibus prius utebãtur, admiserint, & membrorum præsectiones sustinent, & à quibusdam animalibus, quibus antea replebantur, magis ferè, si ingrueret necessitas, q̃ ab humanis carnibus abstinerent. Quoniam uero nonnulli uerba etiam commemorarunt, quæ aduersus,

ſus abſtinentes dicere conſueueras, non ægre ferendum tantum, uerum etiam indignandum ac ſuccenſendum mihi eſſe uidebatur: ꝙ tam ineptis & putidis captiunculis perſuaſi, & uos ipſos decipere, & uetus ac diis gratum inſtitutum euertere paſſi fueritis. Vnde me operæprecium facturum eſſe duxi, ſi non modo noſtra confirmauero, atq; ita ſeſe habere oſtendero: uerum etiam aduerſariorum rationes, quæ ueſtris iſtis & copia, & ui, & omni alio apparatu longe ſunt ualidiores, collegero, ac confutauero: atq; ita ne ab iis quidem quæ uidentur eſſe grauiora, nedum à putidis & leuibus nugis ueritatem ſuperari demonſtrauero. Contra enim abſtinentiam ab animatis, id quod fortaſſe ignoras, non pauci dixerunt, tum ex philoſophis Peripatetici, Stoici, & Epicurei, qui maiori ex parte contradictionem aduerſus Pythagoræ & Empedoclis philoſophiam intenderunt: quorum tu æmulus eſſe in præſentia ſtuduiſti: tum ex oratoribus inter quos Clodius quidam Neapolitanus contra abſtinentes à carne librum etiam conſcripſit. E quibus omnibus quæſtiones eas adducam, quæ ad rem & inſtitutum hoc communiter ſpectant: cæteras, quæ aduerſus Empedoclis confirmationes priuatim feruntur, omittã. Qui igitur inſtituto huic contradicunt, ſtatim iuſtitiam confundi, & immobilia moueri inquiunt: ſi ius

 eo

eò usq; prouehamus, ut non solum ad rationalia, sed etiam ad irrationalia pertinere censeatur: ut nõ tam homines & deos ad nos spectare existimemus, q̃ cætera etiam bruta animalia, quibus nullum commercium nobiscum est: neque ipsorum aliis ad opus, aliis ad esum utamur, aliena prorsus, atque expertia societatis omnis, non secus ac reipublicæ humanæ esse iudicantes. Qui enim erga ipsa perinde atque erga homines se gerere uoluerit, ut ipsis parcat, & non noceat: dum iustitiæ attribuit, quod ferre non potest, illud quod potest, destruit: & alienorũ introductione quod proprium est, tollit ac perdit. Efficitur enim ut uel si ipsis non parcamus, iniuste agere nobis necesse sit: uel si parcamus, atque uti ipsis nolimus, uitam traducere non ualeamus: & demum pecudum quodam modo uitam agamus, si pecudum usum repudiemus. Vt enim Nomadum & Troglodytarum infinitam multitudinem omittam, qui nullum aliud alimentum agnoscunt, nisi carnes: nobis qui mãsuete uiuere & humane uidemur, quod nam terræ opus, quodnam maris, quænam insignis ars, quodnam uictus nostri ornamentum relinqueretur, si erga cætera animalia tanquam nobis cognata ita affecti essemus, ut innoxie & pie erga ipsa nos gereremus? Profecto nullum tantæ inopiæ remedium quæ uitam omnem, & iusti

tiam tollit, comparare poterimus, nisi antiquam legem & præfinitionem seruemus. Quoniam ut inquit Hesiodus, Iuppiter cum naturas distinxisset, & utrunque animalium genus separatim statuisset,

Piscibus, & uolucrũ generi, pecudumq́ꝫ uorare
Concessit mutuo se, ꝙ nulla esset in ipsis
Iustitia: ast homines & iusti fecit, & æqui
Participes.

Quibus autem nullum iuste agẽdi commercium erga nos est: erga ea neque nobis ulla est ratio iniuste agendi. ut qui rationem hác respuunt, nullam aliam, ne angustam quidem iustitiæ uiam relinquant, quam ingredi possit. Nam, id quod iam diximus, naturam nostram quæ ex sese non sufficit, sed indiga multorum est, auxilio a cæteris animalibus arcere, nihil aliud est, quam funditus tollere, & in difficilem instrumentisq́ꝫ omnibus carentem, & necessariarum rerum inopem uitam concludere. Præterea primos illos homines non fortunate admodum uixisse aiunt: quippe cũ nõ intra naturæ animaliũ terminos sese contineat superstitio, sed in plantas ẽt tandẽ irrumpat. quid enim qui bouem iugulat, aut ouem, magis iniuste agit, quàm qui abietem aut quercum deiicit? cum ex transformatione anima in ipsis quoque stirpibus inseratur. Atque hæc præcipua sunt argumenta, quæ Stoici, & peripatetici afferre con-

ſueuerunt.Epicurei aũt prolixã quãdam quaſi genealogiã cõmemorantes,ueteres inquiũt legislatores cum ad uitæ ſocietatem, & mutuas inter ſe hominum actiones reſpexiſſent, impiam eſſe hominis cædem ſanxiſſe: iisq; mulctas non quaslibet irrogaſſe, qui eam commiſiſſent. Quamuis enim naturalis etiam quædam ex formæ & animæ ſimilitudine hominibus erga homines cognatio ſit,quæ faciat, ne ita prompte huiuſcemodi animal, ſicut cætera quæ conceſſa ſunt, occidatur: præcipuam tamen cauſam, cur hoc ita impium facinus ac deteſtabile habitum fuerit, eſſe,q; non conferre id ad totam uitæ conſtitutionem exiſtimarunt. Ex hac enim origine qui utilitatem inſtitutionis hujus perceperunt, iis nulla alia cauſa opus fuiſſe, qua ab huiuſcemodi ſcelere coercerentur.eos uero qui huiuſce rei ſenſum habere non ſatis poſſent, magnitudine pœnæ deterritos a mutua cæde abſtinuiſſe. Quorum utrunque, inquiunt, adhuc etiã euenire conſpicitur. Nam qui eiuſmodi decreti utilitatem conſiderant, prompte in officio perſiſtunt. qui percipere eam nequeunt, minis legum terrefacti idem ſeruant. Quas quidem minas promulgarunt nonnulli eorum cauſa qui uenire in utilitatis conſideratione nequirent: cum plerique eas admiſiſſent. nullum enim a principio ius neq; ſcriptum, neque non ſcriptum uiolenter conſtitutum

eſt,

est, ex iis quæ nunc usque permanent, & eiusmodi natura sunt, ut distribui late inter homines ualeant: sed consensus etiam illorum accessit, qui usuri ipso essent. Prudentia enim animi, non uiribus corporis, aut dominatu in populos pollebát, qui talia plerisque hominibus introduxerunt: qua efficiebatur, ut alii in animaduersionem utilitatis inducerentur, qui ipsius sine consideratione prius sensum habebant, & sæpenumero obliuiscebantur: alii mulctarum magnitudine terrerentur. nullo enim alio remedio ad utilitatis inscitiam uti licebat, quàm supplicii legibus instituti terrore: qui quidem solus est, qui nunc quoque uulgares quoslibet homines coerceat, ac uetet, ne aut publice aut priuatim, quod inutile est, perpetrent. Nam si omnes simili modo & perspicere, & in memoriam reuocare utilitatem possent, nihil opus fuisset legibus: sed ultro homines & quæ interdicta sunt, cuitarent, & agerent, quæ iubentur. quippe cum satis utilis & noxii consideratio futura esset, & ad prauorum fugam, & ad bonorum electionem conciliandam. At pœnæ irrogatio ad eos spectat, qui utilitatem percipere non possunt: quas terror impendens cogit appetitionibus dominari, quæ ad inutiles actiones ipsos trahũt: atq; ita ui in officio continet. Vnde etiam neque inuoluntariam cædẽ omni prorsus pœna uacuam esse uoluerunt legislatores,

latores, ut non modo nullam aliquibus occasionem darent facta eorum sponte imitandi, qui inuiti egissent, sed illud etiam cauerent, ne multa huiusmodi contingerent, quæ inuoluntaria reuera essent. Nam neque id conferebat, easdem ob causas, ob quas etiã uetitum esse diximus, ne sponte homines sese mutuo perderent. Quapropter cum ex inuoluntariis alia ex incerta causa committantur, atq; eiusmodi, quæ ab humana natura euitari non possit: alia ex nostra negligentia, & incuria, quantum quid referat, non aduertentium: ut prohiberent, ne inertia nostra alii læderentur, neq; inuoluntariam actionem impunitam reliquerunt: sed terrore pœnarum huiusceemodi peccati copiam cohibuerunt. Atq; ego quidem existimo concessas etiam a lege cædes consuetis quibusdam expiationibus procurari nõ aliam ob causam a primis illis fuisse institutum, quàm ꝙ a uoluntaria actione homines amouere quàm longissime uolebãt: quippe cum ipsis undecunq; aliqua prohibitione esset opus, ne ad ea quæ non utilia sunt, perpetranda ita temere delaberentur. Vnde non solum mulctas statuerunt, qui primi hoc animaduertere: sed alium etiam terrorem ratione carentem iniecerunt, contaminatos eos esse denuntiãtes qui hominem quomodocunq; occidissent, nisi piaculis quibusdã sese expurgassent. Ita enim

mentis

mentis expers animi pars uario modo erudita, inconuenientem mansuetudinem deuenit: dum irrationali cupiditatis incitationi uarios cicurandi modos adhibent ii, qui a principio populos excoluerunt: quorum unus etiam est, ne se mutuo inindicato occidant. At ex aliis animalibus merito nullum interfici uetuerunt ii, qui nobis quæ facienda essent, aut non facienda, primi constituerunt: quippe cum utilitas in his ex contraria actione nobis existeret. Non enim fieri poterat, ut salui essent, nisi bestiarum insultus qui simul degerent homines, propulsare conati fuissent. Cum igitur nonnulli ex iis qui tunc erant elegantissimi, memoria tenerent, se propterea abstinuisse a mutua cæde, quod ad salutem conferret, cæteris in communibus societatibus euentum rei commemorabant: ut a cognato genere abstinentes societatem conseruarent, quæ ad propriam uniuscuiusque salutem plurimum opitularetur. Hæc autem unum in locum collectorum hominum separatio, & a mutua læsione abstinentia non solum ad alterius generis animalium impetus repellendos, sed etiam ad alios homines arcendos utilis erat, qui nocendi causa accederent. Atque aliquandiu quidem hanc ob causam abstinuerunt a se mutuo qui in eandem necessariorum communionem conueniebant, & ad utrunque ex iis quæ dicta sunt, aliquem usum afferebant.

ferebant. Postea uero cum tempus processisset, & ex mutua procreatione latius diffusa iam esset cognatio, atq; ita externa animalia eiecta fuissent, ac dissipata: in considerationem quoq; eius quod in conuictu mutuo conferret, uenerunt nonnulli, nec sola, ut prius, absq; ratione memoria id pertractarunt. Vnde stabilius etiam conati sunt eos prohibere qui ex præteriti obliuione mutuas cædes perpetrantes imbecillius humanum præsidium redderent. Quod ut facerent, has legum institutiones, quæ adhuc in ciuitatibus, & gentibus seruantur, condiderunt: cum multitudo sponte ipsis etiam ex eo assentiret, quod maiorem iam in mutua congregatione utilitatis sensum perciperet. Simili modo enim ad seueritatem conducebat, ut sicut noxium omne nulla habita ratione interficeretur, ita quod ad necē eius utile esset, conseruaretur. Vnde merito hoc fuit interdictum, illud uetitum nequaquam est. Porro neque illud dici potest, quædam esse animalia, quæ licet humanam naturam non corrumpant, neque ullo modo uitam lædant, concessum tamen à legibus sit, ut interficiantur. Nullum enim ex iis quæ leges occidi permittunt, eiusmodi est, ut si in nimiam copiā excrescere sinatur, læsionem hominibus non afferat: si in moderato numero conseruetur, usus quosdam uitæ humanæ non præstet. Nam ouis & bos & omnia

huius-

huiusmodi si in mediocritate consistant, utilitates quasdam ad necessariam nobis uitæ traductionem exhibent: si uero in multam redundantiam euaderẽt, & numero supra quàm conueniat, excederent, uitam nostram labefactarent: boues quidem ad infestandum conuersi; utpote qui satis ualida & robusta ad id natura præditi sint: oues alimentum quod a terra nobis exoriretur, depascentes. Ex hac enim causa neq; huius generis animalium cædes prohibita est: ut multitudo ea ipsorum relinquatur, quæ ad usum faciat, quæque superari facile possit. Non enim sicut in leonibus, & lupis, & omnibus cæteris quæ feræ appellantur, tam paruis quàm magnis nulla reperiri multitudo potest, quæ si relinquatur, subleuare uitam nostrã queat: ita quoque in bobus, & equis, & ouibus, & id genus cæteris quæ mansueta nuncupantur. Iccirco illa funditus perdere conamur: horum copiam si modum excedat, supprimimus. Eadem ex causa quoq; a ueteribus legibus ea fuisse instituta existimandum est, quæ ad esum animalium spectant. Nam ꝙ alia esui inepta habeantur, utile & inutile in causa esse perspicuum est. Quapropter asserere honestum omne, ac iustum ex propriis cuiusq; opinionibus de iis quæ legibus sanciuntur, existere, non mediocris stultitiæ est. Non enim ita res se habet. Sed quemadmodum in reliquis utilibus, ut-

puta iis quæ ad sanitatem conducunt, aliisq; innumerabilibus fallimur interdum : ita in multis & publicis & priuatis error incidere consueuit. quippe cum legum institutiones quæ omnibus conueniant, non omnes aduertant : sed alii alia nihil referre existimantes prætermittant: alii contraria de iisdem opinentur, & quæ omnibus in uniuersum non conferunt, utilia ubiq; esse iudicent. Ex quo fit, ut quæ omnibus non conueniunt, interdũ decernant, si ea quæ sibi sunt emolumento, ad cõmunemq; inter se utilitatem faciant, inuenerint. cuiusmodi sunt quæ de animalium esu & cæde apud plerasq; nationes ex regionis proprietate instituta sunt: quæ profecto nobis, cum eodem in loco non habitemus, seruari non debent. Si igitur sicut inter homines, ita inter cætera animalia pactum aliquod de cæde fieri potuisset, ne & illa nos, & nos illa promiscue interficeremus recte: eo usq; tãtũmodo productum ius fuisset : satis enim ad securitatem fecisset. Quod uero fieri nullo modo poterat, ut ea legum & iuris communicationem haberent, quæ expertia rationis sunt : eo consilio ad tutelam a cæteris animalibus comparandam nulla utilitas existebat : sed sola interficiendorum illorum licentia, quam nunc etiam habemus, securitas nobis conciliatur. Atq; hæc sunt, atque eiusmodi, quæ ab Epicureis in hanc sententiam di

ci consueuerunt. Reliquum est, ut quæ à cæteris e uulgo hominibus hac de re circũferri solent, subiũgamus. Antiquos illos homines aiunt non pietatis causa ab animalium esu abstinuisse: sed propterea quod usum ignis nondum animaduerterant. quem ubi perceperunt, adeo uenerabilem, & sacrum esse sibi existimasse, ut uestam appellarint, atq; ex eo conuestales & contubernales facti fuerint, uesciq; animalibus cœperint. Esse enim homini secũdũ naturã ut carnes comedat, sicut ut crudis uescatur, præter naturam. Vnde effectum postea esse inuento igne, ut ad id quod naturæ suæ conueniebat, deuenerint, dum adhibita coctione carnes admiserint. Crudiuori nam sunt lynces. & in opprobrium dictum illud est, crudum nanq; ederes Priamum: &, Crudas dilacerans carnes pleno ore uorabat: quasi uidelicet crudarum carnium esus impiis attribuatur. Illud uero humanum: carnibus at plenas uariis hinc inde minister apposuit lances. Primum igitur animalibus non uescebantur, quia crudiuorum animal homo non erat. Vbi uero ignis usus fuit repertus, igne coctis non solum carnibus, sed aliis quoq; plerisq; eduliis utebãtur. Nam crudiuorum animal non esse hominem, quædam gentes quæ piscibus tantũ uescuntur, declarant. pisces enim alii supra saxa ubi feruorem ex sole maxime contraxerint, alii in ha-

rena torrere consueuerunt. Carniuorum autem esse illud manifestat, q ab animalium esu nulla gẽs abstinet, nec græcis tantum, sed barbaris quoque consuetudo eadem est. Nam qui uesci illis uetat, & iniustum putat, neque interficere ipsa, priuareq; anima esse iustum asseret. At aduersus feras insitũ nobis ac iustum bellum est: quippe cum aliæ ultro homines inuadant, ut lupi, & leones: aliæ non ultro, ut uiperæ, quæ si conculcentur aliquãdo mordent: & aliæ in homines, aliæ in fruges grassentur. pro quibus omnibus ulcisci bestias consueuimus, & eas siue lacessiuerint, siue non lacessiuerint, ne mali quicpiam inde nobis eueniat, interficimus. Nemo enim est, qui si uiderit serpentem, statim eum pro uiribus non occidat: ne uel ipse, uel quispiam omnino alius homo morsu infestetur. id quod non tam bestiæ odio, q̃ hominis erga hominem beneuolentia efficitur. Cum igitur iustum aduersus bestias bellum sit, a multis tamen solemus abstinere, quæ cum hominibus uersantur. Vnde græci neq; canibus, neq; equis uescũtur, neq; item asinis, q eiusdem generis sint tam agrestes q̃ cicures: sues autem edunt: nec non etiã cohortales aues. neque enim ad aliud quicpiam sus utilis est, q̃ ad esum. ab eo tamen Phœnices & Iudæi propterea abstinebant, quia ne omnino quidem illis in locis oriebatur. Nũc quoq; in Æthio-

pia

pia huiuſcemodi animal non reperiri affirmant. Sicut igitur neq; camelum neq; elephantem diis ex græcis quiſpiam mactauit, eo q neque proꝛſus ea animalia græcia producebat: ita neque in Cypro, aut Phœnicia diis oblatum hoc animal eſt, quia locis illis deerat. Neque Aegyptii id nunc quoque ſacrificant eandem ob cauſam. Quod autem ab hoc animali aliqui omnino abſtineant, perinde eſt, ac ſi nos etiam camelinas carnes edere abhorreremus. Sed curnam ab animalium eſu abſtineat quiſpiam? nunquid ne animam ſibi deteriorem reddat, aut corpus? At neutrum ex eo effici perſpicuum eſt. Quæ carnibus enim ueſcuntur animalia, perſpicaciora cæteris ſunt. uenatoria quippe ſunt, & eam artem exercent, qua abundantiorem uitam reddunt. Robur item & uires acquirunt, ut leones, & lupi. ut carnium eſus neque animam neq; corpus lædere conſpiciatur. Adde q inde etiam peti huiuſce rei comprobatio poteſt, q & certatores carnibus ueſcẽdo robuſtiora ſibi corpora efficiunt, & medici attenuata ægrotantium corpora carnium cibariis adhibitis inſtaurare conſueuerunt. Nam q non recte opinatus Pythagoras fuerit, illud nõ paruum indicium eſt. Ex ſapiẽtibus enim uiris nullus decreto eius acquieuit. Nõ ex ſeptem illis, non ex poſterioribus quiſpiam. quin neque ſapientiſſimus Socrates, quiq; ab eo

deducti

deducti sunt. Sed age demus omnes homines acquieuisse. Animalium propagatio quonam progredietur? Sus enim quot pariat, & lepus, neminem latet. cæterorum animalium omnium fœturam adiunge. unde pabulum suppetet? Quid facient agricolæ? deuastatis enim frugibus deuastatores non occident. & terra copiam superexcrescentium animalium non feret. ex morientium autem putredine corruptio inducetur: atque ita pestilentiæ obortæ refugium nullum reperietur. Mare enim & fluuii & lacus piscibus replebuntur: aer auibus: terra uariis reptilibus scatueriet. Accedit quod multi medicinis frustrarentur, si ab animalium esu abstinendum esset. Qui enim cæcutiunt, uiperæ esu uisum seruant. Crateri medici seruus cum in nouũ quendam morbũ incidisset, ita ut carnes eius ab ossibus abscederent, ex medicamentis nullum remedium unquam sensit: ubi uero uipera in modum piscis condita uesci cœpit, carne consolidata salutem consequutus est. Multa quoque alia animalia, quin partes etiam singulæ aliorum animalium morbos multos curant. Quas omnes curationes sibi præcidit, qui animalibus uesci recusat. Quod si, ut inquiunt, plantæ etiam anima præditæ sunt, qualis tandem uita nostra erit, si neque ex animalibus, neque ex plantis quippiam percipiamus? Si uero impie non agit qui plantas
decerpit,

decerpit, atque euellit: neque qui animal occidit, sceleri esse obnoxius censendus est. At enim diceret quispiam, si brutorum animæ eadem substantia sunt, qua nostræ, in cognatam cædem seuiendum non esse. sed si sponte eas corporibus iungi quis concedat, amore iuuentutis captas id facere asseret: quippe cum in iuuentute omni iucunditate frui liceat. cur igitur in hominis naturam rursus noningrediuntur? Sin autem sponte in corpora abire, & amore iuuentutis fatendum est, sed ita tamen, ut per omnes animalium species ambiendum ipsis sit: gratam ipsis esse animalium cædem existimandum est, qua celerior ipsis in hominem reditus procuratur. nam corpora si comedantur, nullam afferre molestiam ipsis possunt, cum ab ipsis separatæ iam sint, & in hominis natura esse concupiscant. Immo quanto dolore afficiũtur, dum humanum corpus deserũt, tantæ contra uoluptati, dum ab aliis corporibus absoluuntur, esse ipsis putandum est: quippe cum ita fiat, ut in hominem maturius redeant: qui principatum in cæteras animantes, non secus ac deus in homines obtinet. Satis idonea itaque causa ad interficienda ipsa est, ꝙ occidendo homines lædunt. Si enim immortales animæ hominum sunt, brutorũ mortales, interimendo ea iniuste non agimus. sin aũt ipsæ ẽt sunt immortales, interficiẽdo prosumus: ad

celeriorem enim ipsis in humanam naturam redi-
tum id facimus. At si ulciscimur, non offendi-
mus, sed offendentia uindicamus. Quare si im-
mortales eorum animæ sunt, cædem inferendo ip
sis prosumus. si sunt mortales, nihil impii agi-
mus. si uero etiam ulciscimur, quo pacto non iu-
ste admodum nos gerimus? Serpentem enim &
scorpium, etiamsi nondum lacessant, necamus, cō
muni hominum generi opitulantes, ne alius mali
aliquid ab ipsis patiatur. Ea autem quæ homines
inuadunt, aut ea lædunt quæ cum hominibus uer
santur, aut fruges uastant, quo modo non merito
tollenda e medio sunt? Porrò si iniustitiam pror
sus quispiam hanc existimet, neque lacte, aut la-
na, aut ouis, aut melle utendum ipsi erit. Nam si-
cut iniuste agis, si hominem spolias, ita si ouem
totonderis, iniuriam infers: ouis enim indumen
tum illud est, quod detrahis. Lac etiam non tibi,
sed editis iam fœtibus præparatum est. Apis quo
que sibi id alimentum collegit, quod tu ereptum
delicias tibi facis. Omitto interim Aegyptiorum
religionem, qui iniuste agere, si plantis uim infera
mus, nos putant. Si uero hæc nostri causa effi-
ciuntur: & apis nobis inseruiens mel operatur, &
uellus ouibus superexcrescit, ut ornatui nobis, &
tepori sit. Quin ipsis quoque diis pietatem exercen
tes animalia sacrificamus: & ex ipsis Apollo lupi-

cida,

cida, & Diana fericida nuncupatur. Nam & ſemidei, & heroes omnes qui genere & uirtute nobis antecelluerunt, animantium eſum ita approbarũt, ut diis etiam δωδεκοΐδας, & ἑκατόμβας, hoc eſt duodecim ouium, & centum boum ſacrificia mactare inſtituerint. Hercules uero inter alia ea quoque laude celebratus eſt, ꝙ bouem eſitaret. Si quis uero dicat Pythagoram ſuo hoc decreto nihil aliud uoluiſſe, quàm è longinquo cauere, ne homines ſe mutuo comederent, ſtultum planè eſt. Nam ſi Pythagoræ tempeſtate omnes homines ſe mutuo edebant, abſurda ea inſtitutio eſt, quæ a cæterorum animalium cæde deterret, ut a mutua eſione homines arceat. quippe cum in contrarium potius ſit incitatura, dum ſe mutuo edere idem eſſe peccatum oſtendit, ac ſi boum & ſuum carnibus ueſcerẽtur. Sin autem tunc mutuo ſeſe non edebant, quid opus huiuſcemodi inſtitutione erat? At ſi ſibi & ſociis ſuis legem hanc ſanxit, turpe quidem argumentum eſt: eos enim qui cum Pythagora uerſabantur, hac ſe mutuo edendi ſæuitia laboraſſe indicat. Adde quòd contrarium quoque quàm ipſe ſtudebat, erat euenturum. Si enim ab animantibus abſtineremus, non ſolum diuitiis huiuſmodi, & uoluptate priuaremur, uerum etiam agros ipſos a beſtiis deuaſtatos amitteremus. quippe cũ tota terra & ſerpentibus & uolucribus eſſet occu-

pata: ita ut & arationes fieri difficulter possent, & quæ disseminata quomodocunque essent, ab auibus continuo raperentur, & quæ ad frugem uix peruenissent, a quadrupedibus consumpta penitus interirent: ac tandem in eam uictus inopiam redigerentur homines, ut sese mutuo inuadere cōgerentur. Accedit quod dii quoque multis adiumenti causa ac remedii institutiones de bestiis tradiderunt. Plenæ historiæ sunt, quod quibusdam mandarint, ut & sibi animalia quædam sacrificarent, & sacrificatis ipsi uescerentur. In reditu autē Heraclidarum, illi qui in Laconiam expeditionem fecerant cum Eurysthene & Proscle in necessaria rum rerum inopia constituti serpentes comederūt, quos terra ad alimentum exercitui protulit. In Libya quoque alteri exercitui inedia laboranti locustarum nubes sese obtulit. In Gadibus etiam huiusmodi quiddam fertur incidisse. Mogus erat rex Mauritanorum, qui Mothonæ ab Agrippa fuit interfectus. is Herculis templum quod illic ditissimum erat, oppugnabat. mos autem erat sacerdotibus, ut aram eius quotidie sanguine inspergerent. id autem non ex hominum cōsilio fieri, sed ex deo, occasio ipsa declarauit. cum enim obsidio diutius protraheretur, & hostiæ omnes iā defecissent, sacerdos & rerum & cōsilii inops, somnium huiusmodi contemplatur. uidebatur sibi in-

ter Herculis columnas medius consistere, atque inde auem in ara considentem prospicere, quæ cum in manus ipsius deuolasset, ea se aram imbuisse. Hoc cum uidisset, expergefactus statim ubi illuxit dies, ad aram accesit. atque ibi sicut in somnis ei apparuerat, cum in turrim ascendisset, prospiciebat. atque ecce auem illam cernit. ipse lætus dum successurum somnium sperat, rem obseruat. auis deuolans in aram consedit: tum in manus sacerdotis sese insinuauit. atque ita sacrificata cruore aram inspersit. Hac re illud quoque insignius est, quod apud Cyzicum contigit. Quo tẽpore enim Mithradates ipsam obsidebat, festum Proserpinæ celebrari consueuerat, in quo bouem mactari ipsi mos erat. sacrum autem armẽtum ex quo uictima sumi debebat, extra urbem ultra fretum depascebat: cui uidelicet iamdudum nota etiam erat insta. Cum igitur iam hora aduentasset, bos mugiit, & fretum tranauit. quæ cum portas ei aperuissent custodes, intro currens ad aram astitit, atque ita sacrificium oblatum suo tempore deæ fuit. Nõ immerito igitur quamplurima mactare maxime pium esse opinantur: cum id diis quoque gratum esse uideatur. At si ciues omnes ea sententia essent, ut abstinendum sibi ab esu animalium putarent, qualisnam ea ciuitas euaderet? quo pacto contra se inuadentes hostes propulsaret, si maxime caue-

ret, ne quodpiam aliud animal interficeretur: pro fecto nihil obstaret, quin expugnari & euerti facillime posset. Cætera absurda quæ necessario euenirent, longum esset referre. Quod autem interficere & edere animalia impium non sit, illud declarat, quòd ipse etiam Pythagoras cum ueteres & lac bibendum, & caseum aqua irrigatum edendũ certantibus exhiberent, alii uero qui post ipsos fuerunt, uictu huiuscemodi repudiato aridas ficus athletis in cibum darent, primus antiqua ea consuetudine omissa carnes edendas exercentibus se præbuerit: atque inde longe præstantiorem facultatem ad uires comparandas inuenerit. Sunt etiã nonnulli qui ipsos quoque Pythagoreos, cum diis sacrificant, animantibus manus inferre memoriæ prodiderint. Atque hæc quidem sunt, quæ apud Clodium, & Heraclidem Ponticum, & Hermachum Epicureum, & Stoicos, & Peripateticos reperi. inter quæ uestra etiam collecta sunt, quæcunque per nuntios ad nos fuerunt delata. Ad hæc autem & ad omnium ferè hominum opiniones aduersaturo merito mihi præfandum nonnulla esse existimo.

Primum igitur sciendum est, orationem hanc meam non omnium hominum uitæ monitionem esse allaturam. nam neque iis qui sordidas artes tractant, neque certatoribus, neque militibus, neq; nautis,

nautis, neque oratoribus, neque demum cæteris, qui negociosam uitam instituerunt, ulla huiusmodi afferri persuasio potest. sed illis tantum qui & quinam sint, & unde uenerint, considerant, quæq; ad uictum, aliaq; officia attinent, diuersa ab aliorum consuetudine sibi proposuerunt. Ad alios enim ne uerbum quidem huiusmodi faciendum est. Quippe cum neque in communi hac uita eadem monitio adhibeatur, ei qui dormiat, & id per totum uitæ curriculum studeat, ut somnifera undecunque sibi præparet: & ei qui repellere somnum enixe contendens omnia procuret, quæ ad uigiliam faciant. Nam illi, ut ebrietati, & crapulæ & repletioni uacet, consulendum est: ut tenebrosas ædes, stratum molle, ac latum, &, ut poetæ inquiunt, opimum, sibi eligat: ut soporiferum omne medicamentum, quod torporem, & obliuionem inducat, siue olfaciendo, siue illinendo, siue potione, aut esu assumat. alteri uero sicut sobria ac uino carens potio, ita tenuis adeo cibus præcipiendus est, ut ad inediam proxime accedat: domus præterea lucida, & aeris tenuis, ac uenti capax. iubendum item, ut curarum ac cogitationũ uehementi motu agitetur, & lecto exiguo ac duro cubet. Vtrum autē ad hoc natura idonei simus ad uigilandum dico, ut quàm minimum somno cō cedamus, quatenus in eorum regione non sumus, qui

qui perpetuo uigiles sunt:an ad dormiendum constituti simus, alia esset disputatio, quæ longis demonstrationibus indigeret. Nunc cum eo colloquentes qui semel præstigias diuersorii huius nostri in quo degimus, suspicatus, & naturalem suã uigilantiam, & ex loco in quo uersatur, contractam somnolentiam animaduertit, suspicioni & cognitioni eius consentaneam uictus rationem tradimus: hortamurq; ut dormientes in suis lectis resolutos iacere permittant: ne sicut lippitudine, qui in lippientes obuentur, aut oscitationẽ, qui cum oscitantibus uersantur, ita & nos dormitatione & somno repleamur: præsertim cum locus quoque in quo moramur, ueternosus admodum sit, ut & lippitudinem oculis inferat, & in soporem & obliuionem suis exhalationibus omnes inducat. Si igitur etiam legislatores eo consilio leges instituerũt, ut homines ad contemplatiuam & ex mente atque intellectu traducendam uitam inducerent, obtemperandum ipsis sane est, & admittenda omnino ea sunt, quæ de uictu tradiderunt. Sed si ad naturalem uitam quæ media dicitur, spectantes, & ad ea quibus pleriq; e uulgo possent assentiri, qui & externa, & quæ ad corpus attinent, perinde ac bona uel mala suspicere consueuerunt, ita sanctiones condiderunt suas: quid'nam legibus horum in medium productis uitam eam subuertere quispiam

piam debet, quæ omni scripta & ad uulgus promulgata lege superior est,& non scriptam & diuinam maxime sectatur? Sic enim se res habet. Contemplatio ea quæ felices nos reddit, in sciētiarum & disciplinarum multitudine, ut opinari quispiā posset, non est constituta: neque ex earum augmēto incrementum accipit. nam eo modo nihil obstaret, quin illi essent felices, qui disciplinas omnes undiq; conquisiuissent. Sed tantum abest, ut disciplina omnis contemplationem absoluat, ut neque id præstare eorum quæ re uera sunt, cognitio possit, nisi uitæ etiam ipsis cognata ac conformis institutio accesserit. Cum tres enim, ut aiunt, sicut in unoquoq; scopo, fines nobis sint: ut eius quod re uera est, contemplationem consequamur: ut eius consequutio pro facultate quæ in nobis est, contēplantibus cum re quam contēplamur, cognationē efficiat: non enim in aliud, quàm in id quod re uera ipse est, recurrit quispiam: neque in aliud q̄ in id quod re uera ipse est, cognatio fit, ac coniunctio: ipse autem re uera intellectus est: quare finis etiam nihil aliud erit, quàm secundum intellectum uiuere. ad quem quidem finem literæ & disciplinæ externæ in nobis purgationis uicem obtinent, non felicitatem absoluunt. Nam si in disciplinarū acquisitione felicitas constitueretur, fieri posset, ut neglectis & alimentis & actionibus finem adipi-

D sce-

sceremur? quia uero & rationibus & operibus ex purgati ex præsenti hac in alteram transmutari uitam debemus: age quænam rationes, & quænam opera ad eam nos deducant, consideremus. Nonne ea quæ ab expositis sensui rebus, earumq; perturbationibus nos separant, ad intellectualemq; & imaginationis expertem, impatibilemq; uitam attolunt, eiusmodi esse uiderentur? contraria uero aliena, & abiicienda, ac tanto quidem magis, quod ab illis cum auocent, ad ista nos illectant, ac detrahunt? Concedenda profecto hæc esse existimo. Similes enim sumus hominibus qui in exteras nationes profecti non solum domesticis omnibus exturbati sint, uerum etiam ex regione externa perturbationibus, & consuetudinibus, & institutis peregrinis ita fuerint imbuti, ut ad ea propensi admodum sint. Quemadmodum igitur si quis inde redire domum uellet, non modo iter facere studeret, sed quo a suis admitteretur, daret operam quoque ut deponeret quicquid ab externis accepisset: eaq; sibi in memoriam reuocaret, quæ cum antea haberet, fuerat oblitus, sine quibus admitti a domesticis nullo modo posset. Simili modo etiam nos debemus, si hinc ad ea quæ uere nobis domestica ac propria sunt, reuersuri sumus, ea omnia deponere, quæ ex mortali natura contraximus, una cum affectu, quo ea prosequimur:

mur: ex quo etiam effecta descensio fuerat: beatæq; & æternæ substantiæ recordari: ac summa ope niti, ut ad ea quæ colore, & qualitate omni carent, redeamus: duabus usi meditationibus, una, qua materiale omne ac mortale abiiciamus: altera, qua reditum faciamus, & ad illa contrario modo ascendamus, quàm ad hæc descenderamus. Intellectuales enim substantiæ eramus, & adhuc sumus, puræ ab omni sensu & irrationali natura. Cõiuncti uero cũ sensu fuimus ex impotentia æternæ nostræ consuetudinis cum intelligibili: & ex potentia, quam ad ea quæ hic sunt, habebamus. Omnes etenim quæ cum sensu & corpore operantur facultates & potentiæ, anima nostra in intelligibili non manente progerminarunt. Non secus atque ex prauitate terræ accidit, quæ sæpe cum tritici semen admiserit, auenas producit. Sic ex quadam animæ prauitate id euenit, quæ tamen substantiam eius irrationalis naturæ procreatione minime corrupit, sed per eam mortalitati coniunxit, & ad alienum e proprio detraxit. Vnde si ad pristinum statum redire uelimus, primum pro uiribus studendum nobis est, ut a sensu, & imaginatione, & ab ea quæ ex his consequitur, irrationali qualitate, & ipsius affectibus, quatenus generationis necessitas patitur, recedamus. deinde corrigẽda ea sunt, quæ ad intellectum spectant, pace & quiete

ipsi conciliata ex bello quod cum rationis exper-te natura habet. ut non solum de intellectu & intelligibili audiamus, sed etiam quantum in nobis est, contemplatione eius fruentes, & in incorpoream naturam redacti, uere cum illo, & non falso cum iis quæ corporibus cognata sunt, uitam traducamus. Exuendi igitur multis tunicis sumus, uisibili hac & carnali, tum illis quibus intrinsecus induti fuimus, quæ cutaneis ac pelliceis ꝓxime succedunt: ut ita expediti ac nudi ingredi stadium ualeamus olympia animæ decertaturi. Principium tamen est, ut exuamur, nisi enim id fecerimus, decertare non licet. Quia autem ex indumentis alia extrinsecus, alia intrinsecus iniecta nobis sunt, duplex quoque exuendi nobis ratio ineunda est, tum per manifesta, tum per occulta. non comedere enim, aut datas pecunias non accipere manifestũ, forisq; expositum est: occultum uero ac reconditum, non appetere. Quapropter una cum operibus etiam ab affectione absistendum est, qua erga ipsa ferimur. Quid enim ꝓdest, si ab operibus recedentes, causis ex quibus opera prodeunt, affixi inhæreamus? Recessus autem is fieri & uiolentia adhibita potest, & persuasione ac ratione, dum tabefiunt paulatim affectus, atque ut quispiam diceret, obliuioni mandantur, & emoriuntur. Quæ quidem optima etiam recessio est, quippe quæ efficiat,

ficiat, ut nihil ea in parte adhæreat, unde facta auulsio est. Quod enim uiolentia est auulsum etiã in sensibilibus his rebus, semper uel particulam aliquam, uel uestigium auulsionis secum ferre consueuit. Illa autem uoluntaria separatio ex assidua affectuum incuria & inexercitatione existit. incuriam autem hanc illud præstat, si una cum assidua rerum intelligibilium cogitatione, ab indumentis abstineamus, quæ perturbationes in nobis excitant: inter quæ illa etiam sunt, quæ ad uictum spectant. Nobis igitur non minus quàm ab aliis, a cibis quibusdam abstinendũ est, qui ea natura sunt, ut affectuosam animæ nostræ uim incitent. Qua de re considerandum in hũc modum est. Duo fontes hic ad uinculum animæ fluunt, ex quibus ipsa quasi letali potione repleta in propriarum contemplationum obliuionem inducitur, uoluptas uidelicet, & dolor: quos quidem tum sensus, quæq; sensu fit perceptio, tum quæ sensum consequuntur imaginationes, & opiniones, & memoriæ præparant: ex quibus excitati affectus, omnisq; irrationalis uis crassior effecta animam deorsum trahunt, & a proprio amore erga id quod est, prorsus auertunt. Ab his igitur pro uiribus recedendum est. Recessio autem affectibus qui ex sensibus, & irrationali ui existunt, exclusis, procuranda est. Sensus autem ex iis fiunt, quæ uel uidétur

tur, uel audiuntur, uel quæ gustatu, aut olfactu, aut tactu percipiuntur: sensus enim quasi metropolis quædam alienigenæ affectuum coloniæ in nobis extitit. Ecce enim, per singulos sensus inspice, quantum perturbationum fomentum in nos influat: partim ex certaminis equorum & athletarum, aut lasciuarum saltationum spectatione: partim ex fœminæ contemplatione: quæ escam irrationali facultati exhibentes eam uariis iniectis laqueis undequaqȝ inuadunt, ac subiugant. Omnibus enim his ob rationis expertē uim debacchans anima facit, ut exiliant, ut clament, ut uociferentur homines, dum externa turbatio inflammatur ab interna, quam sensus incenderat. Quæ uero per auditum accidunt ex quibusdam clamoribus, & sonis turpiloquii, & cōuicii adeo turbulētæ agitationes sunt, ut pleriqȝ quasi penitus è ratione excesserint, furentes ferantur: alii contra effœminati omnibus modis immutentur. Suffimentorū autem usus, aut odorati flatus, qui amores sui amatoribus uendítant, quantum irrationalem in anima uim saginent, nemo est qui nesciat. Nam de turbationibus quæ gustatu admittuntur, quid dicere quispiam posset? præsertim cum inde duplex uinculum innectatur, alterum, quod ex gustatione ab affectibus impinguatur: alterum, quod ex alienorum corporum repletione graue ac ualidum

red-

redditur. Venena enim, ut quidam medicus dixit, non sola ea sunt, quæ a medicina conficiuntur: sed esculenta et & potulenta, quæ quotidie in alimentũ sumi consueuerunt: ex quibus letifera uis magis in animam diffunditur, quàm ex uenenis pernicies ad dissolutionem corporis inferatur. Iam uero tactus animam ferè corpoream reddentes sæpe efficiunt, ut in inarticulatos sonos, quasi iã corpus euadat. Ex quibus quidem omnibus memoriæ, imaginationes, & opiniones collectę innumero perturbationum grege concitato, timorum, cupiditatum, irarum, amorum, illecebrarum, dolorum, æmulationum, solicitudinum, atque huiusmodi perturbationum morbis animam replent. Atque iccirco ab his expurgari difficile est: magnusq; admodum labor est suscipiendus, si ab horum meditatione uolumus liberari, cum die noctuq; necessaria nos sensuum coniunctio ubique comitetur. Vnde quanta in nobis facultas est, procul ab huiuscemodi locis est abeundum, in quibus etiam inuitus in multitudinem incidat, necesse est. cauendaq; in primis pugna quæ ex horum experientia exoritur, & si uis, etiam uictoria: amplectendaq; inexercitatio, quæ ab inexperientia existit. Sic etenim audimus ueterum famam ante uirorum, Pythagoreorum, & sapientum: quorum alii deserta maxime loca sibi ad habitandum deligebant:

gebant: alii in urbibus quidem, sed in templis tamen & fanis uitam traducebant, ad quæ turbæ omnis aditus præcludebatur. Plato uero habitare Academiam uoluit, quæ præterquam quod loco erat deserto, & procul ab urbe, parum etiam salubris, ut aiunt, habebatur. Quin nonnullos quoque fuisse constat, qui desiderio internæ cõtemplationis, ne distraherentur, oculis sibi non pepercerunt. Quod si quis simul cum hominibus uersando, ac sensus suis affectionibus explendo, se futurum esse impatibilem putat, is & se, & alios quibus id persuaserit, decipit: neq; aduertit se eo ipso quod a multitudine non alienatur, maxime in affectuum potestatem cessisse. Non enim temere neque de natura philosophorum mentiés asseruit ille, qui dixit: Hi uero a pueritia primum iter in plateam ne sciunt quidem, neq; ubi forum, aut curia, aut quicpiam aliud publicum ciuitatis collegiũ constitutum sit. leges autẽ, & decreta quæ uel dicuntur, uel scribuntur, neq; uident, neq; audiũt. studia uero sodalitatum ad magistratus, & conuentus, & cœnæ, & commessationes cum psaltriis, ne insomnis quidem ipsi agendæ occurrunt. Nam bene ne an male quicpiam in ciuitate euenerit, aut alicui ne à maioribus aut uiris aut mulieribus malum aliquid contigerit, magis eum latet, quàm marini calculi qui appelluntur. atque hæc omnia

neq; an nesciat, nouit: quippe cum non captandæ gloriæ causa ab his abstineat: sed re uera corpus tantum eius in ciuitate maneat, & uersetur: mens autem omnia hæc parua & nihil omnino esse existimans contemnat, ac quocunq; uolitet, ut Pindarus ait, telluris inferas plagas, & superos dimetiens, & cœlestia sidera, atq; omnem ubiq; rerum naturam indagans, & in nihil quicquam sese ingerens, quod sit prope. His enim uerbis Plato non ingerentem se in antedicta impatibilem ex ipsis permanere inquit, sed qui in nihil quicquam horum sese ingerat. Iccirco neq; iter, inquit, nouit in plateam, neq; ubi sit forum, aut curia, aut quicq̃ aliud huiusmodi particulare. Non inquit, nouit & congreditur, & obuersatur, obuersans uero, atq; ex ipsis sensus explens neq; an nesciat, nouit: sed è contrario dum ab ipsis abstinet, ipsaq; ignorat, tum demum se neque scire ait, an nesciat. Vt ad cœnas aũt conueniat, ne in somnis quidẽ, inquit, occurrit. multo minus igitur is indignaturus est, si iusculo aliquo, aut caruncula priuetur: aut omnino curam aliquam his est adhibiturus: & non potius omnia hæc parua quidem & nihil, si abstineat, sed si assumat, magna & noxia existimaturus. Cum enim exempla in rerum natura habeat, diuinum esse felicissimum, miserrimum contra, quod diuinitate caret, illi similem, huic dissimilem sese

præstabit: uitamq́ꝫ instituet conuenientem illi, cui esse similis uult, tenui admodum uictu cōtentam, quæqꝫ mortalibus rebus minime repleatur. Nam quoad de cibis altercatur quispiam, & edendum esse etiam hoc contendit, & non ea sententia est, ut si fieri posset, omni prorsus alimento esse abstinendum assereret, patrocinari is affectibus iactabunde & inaniter uidetur: utpote qui nihil referre ea existimet, de quibus altercatur. At qui philosophatur, per uim quidem coactus ab his sese non abstrahet: qui enim uiolenter cogitur, nihil ominus illic resistere consueuit, unde inuitus abducitur: non tamen si uinculum sibi crassius reddat, aliquid quod nihil referat, facere se existimabit. Quapropter quod necessarium tantummodo est, naturæ exhibens, atqꝫ id admodum leue, ac q̃ leuissimis cibis potest, quicquid modum hunc excesserit, utpote ad uoluptatem faciens repudiabit. Persuasum enim habet, quod inquit ille, sensum clauum animæ esse, qui multitudine eorum quæ percipit, ipsam penetrans fruendo corpori agglutinat, atqꝫ quodã modo affigit. Nam si sensus puræ animæ operationi impedimento non essent, quæ esset difficultas, ut licet in corpore esset quispiam, nulla tamen corporis motione afficeretur? Quo pacto enim iudicasses, aut dixisses, quid esses passus, nisi affecereris atqꝫ adesses iis, quæ passus es?
Mens

Mens siquidem sibi adest, etiam si nos menti ipsi non adsumus. Qui autem mente excessit, illic est quo excessit: discurrensq; hac illac prout uariis perceptionibus animum intendit, ibi adest, ubi sensui obiecta res occurrit. Aliud enim erat ex animi intentione alio sensibilia nõ aduertere: & aliud assistendo & attendendo existimare se non adesse. Hoc sane Platonem concedere ostendet nemo: nisi etiam eum seipsum decipere uelit demonstrare. Qui igitur ultro in edulia admittenda, & spectacula, & congressus, & risus sese dedit, ipsa deditione & appulsione ibi est, ubi est affectio. At qui aliis intentus ab his absistit, is ille est, qui ob imperitiam non solum thracibus ancillis, sed reliquæ etiam turbæ risum exhibet: & cum coactus fuerit, in omnem hæsitationem incidit: non sane quia sensu careat, aut exacte quidem sentiat, sed irrationali tantum facultate operetur: non enim hoc dicere Plato unquam ausus est: sed eo ꝙ huiuscemodi homo & in conuiciis proprium id habeat, ut neminem ullo conuicio afficiat, ut qui malum nullum cuiuspiam nouerit, ex eo, inquit, ꝙ meditatus nõ fuerit: hæsitans igitur ridiculus apparet: & in laudibus, & aliorum iactantiis cum non simulate sed re uera ridere conspiciatur, delirus uideatur. Quare ex imperitia & abstinentia non nouit: non autem quia in experimentũ ueniens, & irrationali facul-

tate operans, intellectu & mente contemplari integre ualeat. Nam neq; illi qui duas animas nos habere aiunt, duas attentiones nobis tribuunt. Ita siquidem duorum animalium coniunctionem facerent, quorum alterum alterius alicui rei uacantis non aduertere actionem posset. Sed quid opus esset tabefacere affectus, & mori quantum ad ipsos spectat, idq; quotidie meditari: si fieri posset, ut ex intellectu operaremur, & mortalibus rebus absq; ulla intellectus inspectione incumberemus, ut nonnulli asserunt? intellectus enim uidet, & intellectus audit, ut inquit ille. Si uero opipara admodum comedens, & quàm suauissimum uinum bibens materia carentibus rebus animum potes intendere: cur non etiam idem potes, dum rem habes, & ea agis, quæ ne dicere quidem honestũ est? Vbiq; enim pueri qui in nobis est, affectus hi sunt. At tu propterea q; turpia hæc sunt, non ad ea detrahi animum asseres? Sed quæ hæc tandem distinctio est? ut aliis non possis affici, nisi ipsis attendas, atq; adsis: alia concedas te exequi, licet intelligibilibus percipiendis uaces? Non enim dicendum scilicet est, alia existimari esse turpia apud plerosq;, alia minime. Turpia enim omnia sunt, quantum ad uitam attinet, quæ ex intellectu traducenda est. omnibusq;, non secus atq; à uenereis abstinendum, nisi quòd parum alimenti ob generatio-

nis

nis necessitatem naturæ est concedendum. Vbicunque enim sensus est, eiusq; perceptio, ibi recessio ab intelligibili fit, necesse est. quoq; magis irrationalis partis motio incitatur, eo magis intellectio deficit. Non enim fieri potest, ut huc & illuc simul feramur, dumq; hic sumus, illic etiam adesse ualeamus. Non enim parte nostri, sed toto attentiones fiunt. Hæc enim opinio, quòd sensibus omnibus affectis quispiam uacare intelligibilibus queat, multos etiam ex barbaris præcipites tulit ac perdidit, qui ex negligentia in omne genus uoluptatis profusi, ipsis se indulgere asserebant, quòd dum aliis attenderent, uti irrationalibus facultatibus etiam possent. Iam uero nonnullos audiui, cum suæ infelicitati patrocinarentur in hunc modum. nequaquam nos, inquiunt, polluunt cibi: quemadmodum neq; à sordidis fluxibus mare inquinatur; dominamur enim omnibus, sicut & mare omnibus humoribus superius est. Quòd si mare os suum clauderet, ne ea quæ influunt, admitteret, esset quidem ex se magnum, sed ratione tamen ad mundum habita paruum existimaretur, utpote quod continere sordes non posset: eas autem, si caueret ne inquinaretur, profectò non admitteret. sed cum magnitudinem suam agnoscat, omnia suscipit, neq; quicquam auersatur, quod in ipsum influit. Sic nos, inquiunt, si esum aliquorum euitemus, ti-

mori ei obnoxii in seruitutem redigimur: quibus opus est, ut subiecta omnia sint. Nã si pauca aqua alicubi collecta sordidum quicpiam admiserit, statim polluitur, à sordeq; ea opprimitur, ac superatũ. gurges autem non inquinatur. Ita comestiones exiguos superant, atq; opprimunt. iis uero quibus gurges atq; immensa libertatis amplitudo est, omnia in alimentum sumuntur, & nullam inquinationem afferunt. Isti igitur huiuscemodi ineptiis se decipientes consentanea erroribus suis etiam egerunt: seq; è libertate in infelicitatis gurgitẽ & profundum protrusi suffocarunt. Hoc etiã fuit, quod nonnullos ex cynicis ad omnia appetenda & uorãda induxit, cum animum ad causam errorum applicuerint, id quod indifferens, appellare consueuimus. Vir autem cautus qui naturæ præstigias suspectas habet, suiq; corporis naturam animaduertit, q̃ instrumenti instar ad animæ potestates fuerit coaptatum, consensum ipsius eiusmodi esse non ignorat, ut si extrinsecus pulsetur, pulsatioq; ipsa percipiatur, uelimus, nolimus, affectus resonent. perceptio enim nihil aliud est, q̃ sonitus ipse. at resonare anima non potest, nisi tota ad resonandum fuerit conuersa, eoq; præsidem oculum suum traduxerit. Nam cum irrationalis facultas ex se inconsiderata sit, & quò usq;, aut quo modo, aut unde, aut ad quos agat, iudicare nullo modo

queat,

queat, ſed quocunq; incubuerit, equis abſq; auriga per q̃ ſimilis ſit, fieri non poteſt, ut quicpiam cum aliis extrinſecus adminiſtret, aut alimenti occaſionem, & modum cognoſcat, niſi aurigæ oculus affuerit, qui motiones eius quæ cæca ex ſeſe eſt, moderetur, ac regat. Qui uero præſidentiam rationis ab irrationali facultate aufert, permittitq; ipſi, ut ex propria natura feratur: qualiſcunq; is fuerit, qui & cupiditati & iracundiæ ita indulget, ut quoúſq; uoluerint in motionibus ſuis progrediantur, egregium ſcilicet is uirtutis exemplum ſeſe nobis præſtabit, & facta ſua ratione prædita exhibebit, cum ſeſe a præſidentis rationis moderatione in irrationalis facultatis operationibus ſubtraxerit. In eo enim honeſtus ac probus uir diſtare a prauo uidetur, ꝙ ubiq; ille aſſidentem habet rationem, quæ rationis expertem facultatem cohibeat ac gubernet: hic omiſſa ratione ſine ea agit, quæcũq; agit. atq; ideirco inconſultus hic, & irrationalis, ab irrationaliq; facultate tractus dicitur: ille contra conſultus & rationalis, isq; qui omni temerariæ appetioni dominetur. Ac peccare quidem pleriſq; & in oratione, & in actione, & cupiditatibus, & ira, contra recte agere bonis inde eſt, ꝙ illi puero per ſeſe agere quæcunq; uoluerit, permiſerunt: boni pædagogo principatum tradiderunt, ex eiusq; præceptis actiones ſuas gubernant. Vnde efficitur, ut

& in

& in cibis sumendis, & aliis corporis operationibus, aut fruitionibus præsens auriga modum & opportunitatem præscribat: absens uero, & ut inquiunt nonnulli, suis uacans, si nostrá quoq; attentionem secum habuerit, irrationali facultati neque affici, neq; operari omnino quicpiam permittat: at si attentionem nostram sine se puero adesse sinat, hominem perdat, cum ab irrationali amentia præceps trahatur. Quapropter probis uiris conuenit, ut ex uoluptatibus & actionibus quæ per corpus existunt, à cibis magis, quá à tactu abstineant. propterea q̄ licet dum corporea tangimus, descendere a propriis moribus ad irrationalē quæ in nobis est facultatem instruendam oporteat, idē magis in cibis assumendis faciendū est. Non enim quod euenturum ex ipsis est, considerare irrationalis uis potest, quæ eiusmodi natura est, ut absentia nullo modo percipiat. Nam si ab alimentis liberi esse ita possemus, sicut à rebus uisui expositis, cum subrahuntur: quippe cum imaginibus earū sopitis intendere animū aliis liceat: satis commode fieri posset, ut ubi necessitati mortalis naturæ parumper indulsissemus, statim liberi euaderemus. Cum uero temporis mora protrahatur dū cibus & conquoquitur, & digeritur, dum'q; & ante id ex somno & quiete, alio'q; ocio auxilium comparatur, & post quædam ex digestione tempera-

tura

tura, & excrementorum secesfio efficitur: adsit pædagogus, necesse est, qui leuia & quæ impedimẽtum nullum afferunt, sibi eligens, ea naturæ concedat. Cum enim quod futurũ est, prævideat, quantoq; impedimento res esset, si cupiditatibus obsequeretur, non æquum esse iudicauit, ut breuis uoluptatis causa, quæ dum edulia admittimus, in deglutiendo percipitur, tam graui sarcina nos opprimeret. Non immerito igitur ratio quod multum, & superuacaneum est, excludens in paucum & angustum contrahit id, quod necessarium est: ne uel suppeditando molestias subeat, dum requirit plura: uel opipara condiendo pluribus indigeat, qui ministrent: uel comedendo pluribus uoluptatibus afficiatur: uel se saturando multo ocio expleatur: uel crasfiore sarcina se referciendo in somnolentiam abeat: uel corpus impinguantibus se replendo & uinculum ualidius, & se pigriorem ad propria munera obeunda reddat, atq; imbecilliorem. Ostendat igitur nobis quispiam, qui q̃ maxime fieri potest, uitam traducere secundũ intellectũ studet, & à corporis affectibus perturbari ac distrahi quàm minimum cupit: carnium esum pomorum, & olerum obsoniis aut copiosius suppetere, aut uilius parari: uoluptatemq; minorem afferre, leuioremq; esse in concoctionibus, & digestionibus, ad cupiditatesq; minus iritare, atq; ad

F affe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

affectus,& uires corporis minus facere ; quàm ui ctum qui ab inanimatis petitur,atq; iis quæ nullã coquorum operam requirunt. At si hoc neq; medicus,neq; philosophus,neq; alipta,neq; è uulgo quisquam affirmare unquam est ausus,cur non ultro à corporis hac sarcina abstinemus ? cur non deniq; ex multorum seruitute ita abstinendo nos liberamus? Non enim ab uno,sed à sexcentis liberari potest , qui minimis esse contentus assueuerit. à pecuniarum superabundantia : à multorum seruorum ministerio : à supellectilium copia : à somnolenta constitutione:a morborum uehementia & multitudine:à medicorum indigentia : ab iritatione ad uenerea: à crassioribus exhalationibus : ab excrementorum affluentia : à uinculi crassitudine: à uiribus ad externas actiones excitantibus:à malorum denum iliade:à quibus frugale ac tenue & quibuslibet parabile alimẽtum nos abducit, atq; abstrahit: dum rationi quæ salutaria nobis suggerit, pacem ac tranquillitatem præparat . Non enim , inquit Diogenes, ex paniuoris fures & hostes: sed ex carniuoris calumniatores & tyranni existunt. Iam uero sublata causa ut multis indigeamus,& copia eorum quæ in corpus assumuntur,detracta, grauitate item eorum quæ digeruntur,subleuata, fit ut liber oculus extra undam & fumum corporeum trãquillus euadat. Id quod neq; comprobationem,neque

que demonstrationem ob insitam in re euidentiá requirit. Vnde non solum illi qui id dant operam, ut secundum intellectum uiuant, & eiusmodi uitam finem esse statuunt, abstinentiam hanc necessariam sibi esse ad finem consequendum arbitrantur: uerum etiam unusquisq; ut pluto, philosophus parsimoniam ad uitam ciuiliter traducendam esse idoneam iudicans, magis uitam eam approbaret, quæ paucis esset contenta, quàm quæ multis indigeret. Adde q;, id quod forte plerisq; incredibile uideri posset, eos hoc asserere, ac comprobare inueniemus, qui uoluptatem finem philosophantium esse opinantur. Plerīq; enim ex Epicureis etiam si ab ipso eorum principe exordiri uelimus, bucella & stirpium fructibus in uescendo fuisse contenti uidentur: librosq; suos huiuscemodi doctrina referserunt, ut quàm paucis natura indigeret, ostenderent: tenueq; & parabilem uictum satis ad necessaria suppeditanda esse declararent. Præfinitæ, inquit, naturæ diuitiæ, & parabiles sunt. at quæ ex inanibus opinionibus existunt, infinitæ, & eiusmodi, ut comparari difficulter queant. Nam quæ facile suppetunt, cum simplicem humidi & sicci naturam habeant, molestiam omnem corporis quæ ex defectu euenit, bene, & abunde auferre consueuerunt. Cætera omnia, quæcunq; in luxuriam delabuntur, non necessariam habere appetitionem

aiunt, neque eiusmodi, quæ ex dolore aliquo necessario eueniat, sed uel ex molestia tantum ex absentia rei suscepta, uel ex lætitia omnino ex præsentia, uel ex inanibus, falsisq; opinionib. existat: nihilq; ad naturalem defectum rei alicuius spectet, quæ si non adsit, dissoluere constitutionem nostram queat. Satis enim ad hæc obtinenda ea sunt, quibus necessario natura indiget. ea autem & ob uilitaté, & ob paucitatem comparari facile possunt. Ei porro qui esu carnis utitur, inanimatis etiam ad uescẽdum est opus. At qui inanimatis tantum est contentus, ei id & ex dimidio facile suppetit, & paucos admodum ad apparatũ sumptus requirit. Nõ enim oportere inquiunt, ut ubi quis necessaria prępararit, philosophiam quasi additamentum postea adhibeat: sed ut prius animi tolerantia & uirtute legitime acquisita, deinde ita quotidianam indigentiam procuret. Nam malo sane cõsultori nostra committeremus, si absq; philosophia quod necessarium naturæ est, metiri, ac parare nobis uellemus. Quocirca philosophando istis etiam prouidere opus est: quatenus uidelicet curæ erga illa intẽtio permiserit. Quatenus uero inde aliquid detrahitur, ut perfectæ purgationi non dominetur, ad opes, aut alimenta præparanda accedendum non est. Cum philosophia igitur curanda necessaria hæc sunt, & confestim sese offerent. Multo siquidem

dem melius est, ut sectemur quod paucissimum in ipsis est, & uile, & leue. quippe cum ex paucissimo paucissima etiam molestia euentura sit. Multus uerò horum apparatus, cum multa impedimẽta etiam secum trahat, tum ex grauatione corporis, tum ex eorum quæ apparantur, difficultate: tum ex eo quod prohibet, ne præcipuarum considerationum operatio esse assidua queat, tum ex qualibet alia causa, statim inutilis est, neq; eiusmodi, ut turbationes quæ ex eo consequuntur, ullo modo recompenset. Adde ꝙ cum philosophum etiam ea spe esse oporteat, ut nihil sibi in uita defuturum esse opinetur: huiuscemodi spem sicut parabilia conseruant, ita sumptuosa ac luxuriosa labefactant, ac minuunt. Ob id enim fit, ut pleriq; licet multa possideant, quasi tamen semper defuturæ sibi opes sint, laborare nunquam cessent. Vt autem uilissimis quibusq;, & iis quæ facillime comparantur, contenti simus, illud plurimum facit, si memoria teneamus, nihil esse quod ad turbationũ animi sedationem, quæ quidem alicuius momenti sit, afferendam uires ullas habeat, neque si collectæ omnes diuitiæ fuerint: ad molestiam autẽ corporis sedandam satis esse quælibet uel admodum modica, & quæ suppetere undiq; facillime possint. quæ si etiam aliquantulum desint, turbare eum nequeunt, qui mortem assidue meditatur. Accedit

q, & dolor qui ex defectu existit, longe comitior
est, qui ex repletione euenit, nisi uanis opinioni-
bus quispiam seipsum decipiat: & ciborum uarie
tas non modo animæ turbationem nõ aufert, sed
neq; corporis uoluptatem auget: quippe cum ea
simul ac doloris facta detractio est, finem conse-
quatur. Sic neq; carnium esus molestiam naturæ
ullam dissoluit: neque quicquam affert, quod nisi
effectum esset, in dolorem induxisset: sed uiolentã
gratiam exhibet, quæ cum contrario cito commi-
sceatur. non enim ad uitæ conseruationem, sed ad
uoluptatum uarietatem tantum, non secus ac ue-
nerea, & peregrinorum uinorum potus condu-
cit, sine quibus permanere natura etiam potest. Si
ne quibus enim perdurare non potest, ea pauca ad
modum sunt, & eiusmodi, quæ facile, & cum iu-
stitia, & liberalitate, & multa quiete, & ocio com
parari queant. Quin ad sanitatem quoq; carnes
non conferre, sed ei potius esse impedimento in-
ueniemus. Nam quibus fit, ut sanitas recuperetur,
iisdem etiam conseruetur, necesse est. recuperatur
autem tenuissimo, & carnium experte uictu. qua
re eodem etiam ut perduret, efficietur. Si uero ab
inanimatis petitus cibus Milonis robur non af-
fert, neque omnino ad incrementum uirium facit:
neque robore, neque uirium incremento est opus
philosopho, qui contemplationi, non actionibus,

&

& intemperantijs uacaturus est. Neque mirum esse debet, si plerique è uulgo ad sanitatem conferre esum carnium existiment: quippe cum iidem quoque uoluptates & uenerea conseruare sanitatem opinentur: quæ tantum abest, ut quempiam iuuerint, ut satis superque esse possit, si etiam non læserint. Sed si plerique huiusmodi non sunt, nihil ad nos. nam neque philosophiæ & considerationis certitudo aliqua & stabilitas in plerisque reperitur. neque ad sapientiam, partem'ue aliquam eius suscipiendam idonei uulgares homines sunt, quæ egregii aliquid in se habeat: neque quid conferat aut priuatim aut publice, satis percipiunt: neque quæ prauæ aut honestæ sint consuetudines, ualent diiudicare. Multa præterea petulantia & intemperantia in ipsis inest: ut uerendum minime sit, ut qui animalia comedant, non reperiantur. Si enim omnes optime senserint, nullum nobis aut aucupibus, aut uenatoribus, aut piscatoribus, aut subulcis erit opus. ipsa autem se ipsa gubernantia animalia, si nullum habuerint, a quo curentur, & regantur, facile peribunt, & ab aliis quæ ipsa inuadunt, atque ita multitudinem eorum minuunt, absumentur.
Id quod in innumerabilibus animalibus usu uenire consueuit, quibus homines non uescuntur. At si uaria hæc & omnigena insipientia inter homines perseueret, innumerabiles quoque erũt, qui hæc gu-

læ dediti ingurgitent. Sanitas porrò non mortis formidine seruanda est, sed ea de causa, ut ne ad ea bona consequenda impediamur, quæ ex contẽplatione eueniunt. eius autem conseruatrix præcipue est animæ imperturbata & tranquilla constitutio,& mentis nostræ attentio ad id quod re uera est. Multum enim est, quod hinc ad corpus usq; pertineat:quemadmodum amici nostri experimento docuerunt:qui cum articulari morbo laborarẽt, qui adeo uehementer & manus & pedes ipsis occupauerat,ut octo integris annis gestatione ipsis fuerit utendum: eum expulerunt, simul ac reiectis opibus ad diuina contemplanda sese contulerunt. simul enim cum pecuniis, & curis morbum quoq; corporis deposuerunt. magna igitur uis, atq; omnis ferè ad sanitatem afferendam ex bona quadam animæ constitutione in corpus deuenit. Tam et si ad idem plerũq; alimenti etiam diminutio confert. In uniuersum autem, ut recte dicebat Epicurus, cauendus est is cibus, quem, ut eo uescamur, desideramus, & persequimur, ubi uero confectus iam est, ingratum esse iudicamus. cuiusmodi sanè est luxuriosus omnis & crassus. Id autem euenire illis solet, qui huic perdite inhiant, cum in sumptus, aut morbos, aut repletiones, aut occupationes incidant. Vnde etiam in tenuibus ac uilibus uitanda repletio est. & ubiq; considerandum, quid

quid ex fruitione, aut possessione eorum eueniat: qua copia sint: cui molestiæ, corporis ne an animæ succurrant: nunquid ob gratiam cupiditatem in singulis augeant: non secus atq; illis quibus multæ opes comparatæ sunt. Indeterminate enim uagari nusquam debemus: sed ubiq; terminus & modus in his præfiniendus, considerandumq; est, cum qui abstinentiam ab animalibus timet; si uoluptatis causa esum carnium admittit, mortem timere: quippe qui statim una cum eduliorum detractione interminati cuiusdam mali præsentiam addat, ex qua mors existit. Ex his autem atq; huiusmodi causis uiuendi quædam, & diuitiarum, & pecuniarum, & gloriæ inexplebilis cupiditas oritur: dum simul cum his in longius tempus bonum omne se aucturos putant, & mortis malum, quasi interminatum semper formidant. Voluptas uero quæ ex luxuria dapum euenit, ne prope quidem ad eam accedit, quam ex parsimonia, & eo quod satis est, quispiam experitur. Multa enim iucunditate is afficitur, dum cogitat quam paucis sibi opus sit. Nam si luxuria, & ueneteorum stupor, & ambitio tollatur, quid amplius diuitiis indigebimus, quæ nõ solum ociosæ, nullamq; utilitatem allaturæ nobis sunt, uerum etiam non secus ac repletio, sunt grauaturæ? Ex huiuscemodi autem necessaria satietate uoluptas uera & sincera existit. Assuefaciendum

G uero

uero etiam corpus est, ut non famis repletionem, sed satietatis huius uoluptatem percipiat, ut ad omnia ea pertingat. Nec quod indefinitum, sed quod necessarium est, terminum statuat. Ita enim fiet, ut corpus quoq; id quod contingere ipsi potest, bonum consequatur ex sufficientia, & ex similitudine quàm ad deum habet. Sic neque ipsum longioris temporis usuram desiderabit, quod bono suo incrementum afferat. Sic uere ditescet, dum naturali termino, non uanis opinionibus diuitias metitur. Sic non semper erit suspensum spe maximæ uoluptatis, quæ ut euentum certum nullum habet, ita turbulentissima est: sed in præsentis & præteriti sufficientia iam erit constitutum, ut de futuro, ut diutius permaneat, sollicitum non sit. Age uero quo modo quæso absurdum non est, si ille qui affligatur uel graui aliqua calamitate extrinsecus oppressus, uel uinculis deprehensus de cibis ne cogitat quidem, neque sibi unde apparentur, laborat: sed si apponantur, quod necessarium est, tantum sumit: is autem qui re uera est uinctus, internisq; calamitatibus afficitur, epularum apparatũ inquirit, uarietatesq; earum procurat, quibus uincula sibi corroboret, crassioraq; efficiat? Quo pacto hæc hominum sunt, qui cognouerint ea quæ passi sint, & non potius eorum qui delectentur iis quæ patiuntur, & quibus in malis constituti sint,

igno-

ignorent? quibus profecto in contrarium cedit calamitas, quàm illis qui cum uincti sint, miseriã suam agnoscunt. Cum enim ingratus sibi præsens uitæ status sit, turbationeq; inexplebili agitentur, absentia ad repletionem usq; affectant. Nemo siquidem est, ex iis qui in omnem luxuriæ & uarietatis copiam profusi sunt, qui ex eo quod pacatas omnes perturbationes habeat, ad mensas & lectos argenteos, & ungnenta, & coquos, & supellectiles, & uestes, & cœnas opiparas appetendas inducatur. sed ex præsentis uitæ iniucunditate, & inde finita bonorum generatione, & turbatione insedabili ad hoc deuenire consueuerunt. Vnde illi non recordantur, dum præsentibus malis repellendis uacant: hi uero dum præsentibus ingrate fruuntur, absentia sibi student comparare. At contẽplationi deditus utroq; modo tenuitatem uictus persequitur. nam & in quibus uinculum constitutum sit, nouit, ut appetere luxuriam nequeat. & cum parsimonia delectetur, animatorum esum, quasi cibo eo contentus non sit, qui ab inanimatis petitur, minime quærit. Adde q; si etiam talis corporis natura in philosopho non esset, quæ ita facile tractari, & curari quibuslibet etiam uilibus posset: sed opus esset, ut ueræ salutis causa dolores ac molestias subiremus: non ne idem nobis omnino esset faciendum? Non enim scilicet ut corporis

morbo liberemur, tot sustinenda nobis sunt, dum secamur, dum cruentamur, dum adurimur, amara medicamenta haurimus, purgamur per aluum, per uomitum, per nares: atque insuper iis qui nos ita afficiunt, mercedes impendendæ: causa uero interni morbi, ubi nobis certamen est de immortalitate, de consuetudine cum deo habenda, à qua ex corporis consuetudine prohibemur, non omnia sustinere, etiam si dolores perpeti, & afflictationes oporteret: nec leges corporis quæ uiolentæ sunt, & legibus mentis uiisque salutis aduersantur, sequi merito debemus. Sed cum nunc non de tolerandis doloribus, sed de uoluptatibus non necessariis reiiciendis philosophemur, quæ amplius excusatio iis restat, qui impudenter suam ipsorum tueri intemperantiam uolunt? Nam si nihil ueriti libere loqui uelimus, nullo alio modo finem consequi possumus, nisi affixi, si ita dicere licet, deo, & à corpore, eiusque uoluptatibus refixi fuerimus: cum ex operibus & factis salus, non ex simplici uerborum auditione nobis comparetur. Deo autem ne alicui quidem ex particularibus, ne dum ei qui ante omnes, & supra incorpoream naturam absolute est, quolibet uictu, & omnino carnium esu conciliari quispiam potest: sed castimoniis uariis & animæ & corporis, qui & honeste natus, & sancte & pure uiuat, uix haberi dignus potest, ut eius sen-

sum aliquem habeat. Quare quanto ille omnium pater simplicior, & purior, ex seq; est sufficientior, utpote qui procul a materiali omni significatione collocatus sit: tanto magis undequaq; purũ & castum esse eum oportet, qui ad ipsum sit accessurus. atq; ita ut huiuscemodi sanctimonia a corpore incipiens intrinsecus desinat: dum singulis eius partibus, aut omnino illis quæ affuerint, puritatem quæ naturæ uniuscuiusq; conueniat, attribuit. Sed fortasse his contradicturus est nemo: illud tamen obiiciet, cur si ita sanctam esse abstinentiam statuimus, in sacrificiis deorum & oues & boues mactare consueuerimus: easq; immolationes tũ pias, & sanctas, tum diis gratas existimemus. Quocirca cum ad hæc diluenda paulo longiore oratione nõ bis opus sit, sumpto alio exordio de sacrificiis pertractandum est.

PORPHYRII DE ABSTINENTIA AB ESV ANIMALIVM

LIBER SECVNDVS.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

Quæſtiones de uictus tenuitate & puritate o Caſtrici perſequentes in diſputationem de ſacrificiis deuenimus: quæ tum diiudicatu difficilis eſt, tum multam explanationem requirit, ſi modo & uere, & ita ut diis gratum ſit, explicanda eſt. Iccirco cum huiuſcemodi conſideratio hucuſq; dilata proprium locum nacta iam ſit, ea nunc dicemus, quæ ſuper hac re nobis uideantur, quæq; enunciari à nobis pro uiribus poſſint: ſi prius errorem qui in propoſito argumento accidere ſolet, caſtigauero, ac correxero. Primum enim ex eo ꝙ animalia occiduntur, aſſerimus non neceſſario ſequi, ut ipſa etiam comedenda ſint. neq; qui alterum concedit, hoc eſt, ut mactentur, is continuo etiam ſtatuit, ut edantur. Nam hoſtes inuadentes ut uindicemus, leges permittunt: eo-

rum

rum carnibus uesci procul ab hominis natura esse iudicatur. Præterea non si dæmonibus,aut diis aut potestatibus quibusdam animatum aliquod immolare conuenit quasdam ob causas quæ uel notæ hominibus sint,uel etiam ignotæ:propterea animalia quoque epulemur, necesse est. quippe cum ostendi possit,in sacrificia assumi tum hominem, tum animalia quorum carnes ne ex iis quidem qui carnibus uesci consueuerunt,quispiam gustare pateretur. Quin etiam in occidendis animalibus idē error accidit. non enim si aliqua, continuo etiam omnia interficienda sunt.neq; si in brutis animalibus id committitur,prorsus etiam in hominibus faciendum idem est.Et abstinentia ab animatis, sicut etiam in primo libro iam diximus, non absolute omnibus hominibus præcipitur, sed philosophis, atq; iis præcipue, qui in deo & in eius imitatione felicitatem suam constituerūt. quippe cum neq; legislatores in ciuitatis communione eadem & uulgo & sacerdotibus agenda esse sanxerint:sed cum plerisq; & in uictu, & reliqua uitæ traductione multa concesserint, iisdem sacerdotes mortis pœna, aut graui aliqua mulcta proposita uti uetuerunt.Si igitur hæc non confundantur, sed ea qua debent, distinctione accipiantur, pleraq; à cōtradicentibus allata uana esse reperientur. Pleraq; enim uel quia ob damna quæ inferuntur,occiden

da

da aliqua sunt, uel quia quasi ex occisione esus cō sequatur, ita sumitur, uel quia ad sacrificia anima= lia quoq; adhiberi solent, inde hominibus quoq; ea esse comedenda ratiocinantur: & item si quæ= dam ob feritatem tollenda è medio sunt, sequi ex eo censent, ut mansueta quoq; interfici debeant: & si quibusdam cuiusmodi sunt athletæ & milites, & qui corpore operantur, uesci carnibus licet, id etiam philosophis: & si quibusdam ex his, omni= bus etiam licere necesse esse arbitrantur: cum hu= iuscemodi omnes consequutiones & prauæ sint, & nullam statuendi quicpiam necessitatem afferant. quarum quidem prauitates omnes manifeste hinc iis qui contentiosi minime fuerint, conspici facile possunt. Quocirca nos cum alios ex huiuscemo di erroribus iam coarguerimus, alios item proce= dente disputatione simus conuicturi, nunc ad con siderationem hanc de sacrificiis explicandam de= scendemus. Atq; unde a principio originem habue rint: quænam, & qualia primo fuerint: quo pa= cto immutata sint, & quando, exponemus. tum omniane philosopho sacrificanda: quibus'q; sacrifi cia ex animalibus offerantur: & deniq; omnia quæ his annexa sunt, partim à nobis excogitata, par= tim à ueteribus accepta referemus, moderatio= ne ea seruata quatenus fieri poterit, quæ proposi to argumento maxime sit accommodata. Res

igitur

igitur in hunc modum se habet. Innumerabile fere quoddam tempus est, ex quo omnium eruditissimum hominum genus, ut inquit Theophrastus, qui sanctissimam à Nilo cōditam regionem incoluerunt, à uesta & foco sacrificare cœlestibus diis primi cœperunt, non myrrhæ illi quidem, neq; casiæ, aut thuris croco mixtorum oblationes: multis enim ætatibus post assumpta etiam hæc fuerunt, qui primus erroris gradus extitit: quando homo in necessarii uictus inopia constitutus multis cum laboribus & lachrymis guttas horum diis obtulit. Sed his tamen prius non sacrificabant, sed herba ipsa, quam ueluti quandam feracis naturæ lanuginem manibus decerpsissent. Nam arbores ante quàm animalia terra edidit: herbam item quæ annua germinatione exoritur, multo ante quàm arbores emisit. cuius folia decerpentes, & radices, quin integros quoque ipsos caules flammis adolebant: sacrificio hoc cœlestes deos qui uidebantur, excipientes, & igne honores ipsis immortalitati consecrantes. nam his quoque ignem immortalem in templis solemus conseruare, quippe qui simillimus ipsis sit. Ex suffitu autem eorum quæ è terra incendebantur, hoc est ex thymiasi, θυμιατήρια, quasi dixeris suffitoria, aras, & θύειν sacrificare, & θυσίας sacrificia appellarunt. quæ scilicet nos, quasi posterius peccatum ex

H cedant,

cedant, nō recte interpretamur: cū cultū qui diis ex aīaliū immolatione uidetur exhiberi, θυσίαν, hoc est sacrificium uocemus. Tanta uero priscis illis cura erat, ne uetus consuetudo uiolaretur, ut aduersus eos qui ueteribus omissis noua introducerent, execratione usi, ea quibus nunc suffire con sueuimus, ἀρώματα, hoc est execramina nuncuparent. Atq; hunc quidem antiquorum suffimentorum usum animaduertere inde etiam unusquisque posset, q multi nunc quoque concisa ex odoratis lignis quædam diis adolere consueuerunt. Vnde cum post primum illum herbarum exortum producere arbores terra iam incepisset, & primū quercus fructibus homines uescerentur, ex fructibus pauca ob alimenti penuriam, ex foliis plura diis in sacrificia offerebant. Postea uero cum uita mansuetius ad alimentum iam transiuisset, & satis quercus, dixisset, nucibus sacrificabant. Vbi autem ex Cereris frugibus post legumen hordeum primum extitisset, eo integro à principio aqua insperso ad sacrificia hominum genus utebatur, id quod οὐλοχύτας appellabant. deinde cum id fregissent, atque in cibum contriuissent, opificii eius instrumenta, utpote quæ diuinum subsidium uitæ humanæ attulissent, in arcanum locum abdita, quasi sacra uenerabantur. Ex uictu uero eo trito quem præ cæteris prioribus beatum putabant, diis in ignem
 obla-

oblationes faciebant. Vnde nunc quoq; in fine libationum tritis libaminibus uti consueuimus, ea re uetus quidẽ illud suffimentorũ incrementũ testificantes, non intelligentes tamen qua de causa singula quæq; faceremus. Hinc nobis procedentibus, & cum cæteris frugibus, tum tritico uberius iam suppetente, triticeæ pultis, & cæterorum omnium primitiæ diis in sacrificia adhibebantur: cũ è plerisq; hominès flores delibarent, & alia cõmiscerent, si quid pulchri in uita habere uidebantur, quodq; odore ad diuinum sensum præstaret: atq; ex his alia ad serta uterentur, alia in ignem coniecta adolerent. Vbi etiam diuinas & uini & mellis guttas, olei item ad usus humanos reperissent, ex his quoque auctoribus diis rem sacram faciebant. Quibus omnibus pompa solis & horarum, quæ ad hunc usq; diem Athenis celebratur, uidetur attestari: in qua cum herbæ aliæ, tum gramen, quercus item & arbuti baccæ, sorba, triticum, hordeum, caricarum fasciculi, & ex triticea & hordeacea farina placentæ, dulciaria, necnon ollæ leguminum deferri consueuerunt. Cum uero oblationes quæ in sacrificiis fiunt, hominibus longe ab iniustitia abessent, scelestarum uictimarum assumptio introducta est, sæuitiæ plena: ut detestationes & execrationes quæ prius dictæ sunt, contra nos finẽ uideantur fuisse consequutæ, cum homines anima

lia iugularint, & aras cruore cōtaminarint: ex quo primū fames & bella experti cruore respergi inceperunt. Vnde Numen deorum, ut inquit Theophrastus, succensens horum utrorumq; pœnam conuenientem uidetur intulisse. cū homines alii ἄθεοι, hoc est à diis penitus alieni extitissent, alii eiusmodi, qui κακόφρονες, idest, male sentiētes, q̄ κακόθεοι, hoc est prauos deos habentes dici merito potuerint: propterea q̄ uiles, & nihilo nobis superiores natura eos esse existimarent: atq; ita alii ἄθυτοι, hoc est à sacrificio omni prorsus alieni fuisse uiderent, qui nullas ullius rei primitias diis consecrarent: alii κακόθυτοι, hoc est, qui praue offerrēt & illegitima sacrificia adhiberent. Iccirco Thoes q in finibus Thraciæ habitarunt, cum nihil offerrent nec sacrificarent, sublati è medio hominum eo tempore fuerunt, ita ut neq; habitantes, neq; urbem, neque uestigia domorum reperte quispiam inuenire potuerit. Cohibere enim iniuria facta

Nolebant, sancto & uenerari numina cultu:
Spernebantq; aris dignos imponere honores:
Ceu fas est superis, iccirco hos iuppiter imis
Occuluit tenebris indignatus quia diuos
Nullo cœlestes ita dignarentur honore:

neque ipsis sicut oportebat, sacra faciebant. Debassaris etiam qui antiquitus Taurorum sacrificia non solum fuerant imitati, uerum etiam ex

homi-

hominum mactatorum carnibus in cibum sume=
bant, non secus ac nos in cæteris animalibus nũc
facimus, dum reliquas sacrificiorum carnes in epu
las referimus: quis ignorat, quàm furiose in se
mutuo concitati, seq; mutuo morsibus impetentes
non prius re uera cruore uesci destiterint, quàm il
lorũ genus perdiderint, qui apud ipsos primi hu=
iuscemodi sacrificia introduxissent. Posterius igi=
tur, & recẽtissimũ est, quod per animalia offertur
sacrificium: quod ex causa quidem non ita grata,
sicut quod ex fructibus fiebat, sed ex fame, aut ali
qua alia calamitate exortum est. Nam causæ pecu
liarium apud Athenienses mactationum uel in
ignorationes, uel in iras, uel in timores referun=
tur. Suum enim iugulationem errori minime uo
luntario Clymenes attribuunt, quæ cum animal
id imprudens telis petiisset, interfecerat. Vnde
uirum eius, inquiunt, religione perterritum, qua
si impium quid perpetratum fuisset, Delphos pro
fectum oraculum super ea re consuluisse: cui cum
deus indulsisse euentui uisus fuisset, rem postea in
nullo discrimine esse habitam ferunt. Antistiti itẽ
qui e uatum genere erat, cum immolare oues uel=
let, permisisse quidem oraculum aiunt, sed mul=
ta tamen cum religione & cautione: in hunc mo=
dum enim canit:

Non tibi fas ouium sobolem mactare, piorum

 Pro=

Progenies uatum: sed quæ sponte occubet, illā
Antistes inferre aris tibi iure licebit. Caspram uero in Icaro Atticæ quia uitem totonderat, primum interemerunt. Diomus item Polici Iouis sacerdos cum esset, bouem primus dicitur mactasse ex huiuscemodi occasione: Cum Diipolia, id autem est Iouis festum, celebrarentur, & fructus ex antiquo more ad id essent præparati, bos accedens ex sacra pulte degustauit. at sacerdos alio rum qui aderant, auxilio adiutus, eum interfecit. Atq; apud Athenienses quidem peculiares hæ causæ afferuntur: aliæ apud alios dici solent: plenæ tamen omnes minime piarum assignationum. Famem enim, & iniustitiam quæ ex ea euenit, pleriq; causantur: quod cum ex animatis sibi esset comedendum, ea diis mactarint: cum prius tamen ab eorum esu abstinere consueuissent. Vnde mos huiuscemodi sacrificiorum cum antiquior non esse cōspiciatur, quàm necessarius ex animalibus uictus fuerit, declarare hominibus satis potest, semouenda etiam animalia ab eo quod comedendum sit: neque necesse esse, ut ex iis quæ illi comederint, & sacrificarint, illud quasi pium admittamus, quod diis non pie obtulerunt. Ex iniustitia autem huiuscemodi omnem ritum exordium sumpsisse illud præcipue inditio est, quod non apud omnes gentes eadem uel sacrificant, uel comedunt: sed ex usu

suo

ſuo quid rectum & ex officio ſit, coniicere conſue- uerunt. Nã apud Ægyptios & Phœnices ex hu- manis carnibus potius, quàm ex boue fœmina de guſtarent. cuiuſce rei cauſa eſt, ꝙ animalis huius quod utile admodum eſt, penuria apud ipſos erat. Iccirco cum tauros & ederent, & in ſacris macta- rent, fœminis uero fœturæ cauſa parcerent, piacu- li loco eſſe ſanxerunt, ſi quis manus in eas inie- ciſſet. Qua in re uſus proculdubio & utilitas fuit, quæ in uno, & eodem boum genere pietatem & im pietatem ſtatueret. Quæ cum ita ſeſe habeant, non iniuria uetat Theophraſtus, ne animalia ſacrificent, qui re uera ſe gerere pie uolunt, hu- iuſcemodi alias ob cauſas: primum quia neceſ- ſitate quadam maiore ingruente, ut diximus, ipſa ſacrificarunt: fames enim & bella in cauſa fuerũt, quæ ea comedendi neceſsitatem attulere. Cum igi tur ſuppetant fruges, quid opus tandem eſt, ut ne ceſsitatis ſacrificio utamur? Deinde quod cum be neficiorum remunerationes & gratiæ aliæ aliis pro beneficentiæ dignitate reddẽdæ ſint: iis qui in nos maxima beneficia contulerunt, maxime ſunt retri buendæ, & ex preciosiſsimis, præſertim ſi ipſi no- bis ea exhibuerint. Maxima autem & preciosiſsi- ma quibus nos dii proſequuntur, fruges ipſæ ſunt: quippe cum ipſis & nos conſeruent, & ut legitime uitam traducamus, exhibeant. His igitur uenera-

ri eos debemus: & non sacrificare ea quæ mactando neminem pascemus. Nihil enim perinde ac sacrificium innoxium esse omnibus debet. At si quis animalia quoque non minus quàm fruges in usum nobis deum tradidisse affirmet: is sciat ea propterea non esse sacrificanda, quia ex sacrificio ipsis nocumentum infertur, dum anima priuantur. Sacrificium enim id est θυσία, quasi ὁσία hoc est sanctitatem quandam nomine ipso præ se fert. sanctus autem nemo est, qui ex alienis referre gratias uelit, siue fructus, siue plantas ab inuito sumpserit. Qui enim esse sanctum id potest, cum iniuria illi afficiantur, à quibus ea auferuntur? Quod si ne si uiles quidem fructus ab aliis auferas, sancte sacrificas: ea quæ fructibus longe sunt preciosiora ab aliis ablata diis offerre sanctum nullo modo est: quippe cum iniuria maior inde existat. anima autem longe preciosior iis est, quæ è terra oriuntur: qua quidem priuare animalia ut sacrificemus, non conuenit. Sed fortasse dicet quispiam, ex plantis quoque nos quicpiam detrahere, dum fructuum oblationes diis facimus. At non similis ea detractio est: non enim fit ab inuitis. nam si etiam nos plantas omittamus, nullamque uim afferamus, ipsæ sua sponte fructus remittunt. Fructuum præterea demptio, non cum interitu stirpium efficitur, sicut cum animalia animam effudunt. Fru-

ctus autem apum quia ex laboribus etiam nostris existit, ex eo conuenit, ut commune etiam emolumentum percipiatur. Ipsæ enim hinc inde mel ex floribus delibantes colligunt: nos uero curam ipsarum habemus: ut merito ita partienda etiam utilitas sit, ne ipsæ ullo damno afficiantur. Quod enim ipsis commodum non est, id nobis multos usus præstat: ut quasi merces ab illis sumendum esse uideatur. Abstinendum igitur ab animalibus in sacrificiis est. Accedit quod cum alia omnia deorum sint, nostri esse fructus uidentur: quippe cum nos eos & seramus, & plantemus, & aliis studiis adhibitis enutriamus. Ex nostris itaque, non ex alienis sacrificandum est. Præterea quod sumptu paruo parabile est, quam quod magno, sanctius, & diis gratius est, & sacrificantibus item, cum assidue ad pietatem exercendam suppetat, facilius. Quod uero neque est sanctum, neque uili sumptu acquiri potest, etiam si adsit, adhibendum in sacrificiis prorsus non est. Animalia autem ex iis non esse quæ facile aut uili sumptu comparentur, inde conspici optime potest, si ad plerosq; homines spectemus: non enim si aliqui sint, qui multis ouibus, alii qui bobus abundent, considerandum in præsentia est: primum quia multæ gentes sunt, quæ nullum ex animalibus quæ idonea sacrificiis sint, nisi admodum ignobilia habeant: deinde quod

ex iis etiam qui in ciuitatibus habitant, pleriq; penuria horum laborant. Nam si quis fructuum nostrorum inopiam sibi esse dicat: cæteris tamen quæ è terra oriuntur, non indigebit: neque ita difficile erit fructus, ut animalia comparare. Facilior igitur fructuum, & è terra nascentium, quàm animalium acquisitio est. Quod uero est facilius, uiliorisq; penditur, ad assiduam & cuiuslibet pietatem facit. Ac diis quidé hæc magis placere, quàm quæ multos sumptus requirant, rei ipse euentus testatur. Nam cum olim Thessalus ille boues deauratis cornibus, & hecatombas Pythio Apollini immolaret, magis asseruit Pythia Hermionéum sibi fuisse gratificatum, qui è reticulo liba tribus digitis obtulerat. cumq; ille ob id dictum reliqua omnia in aram in ignem insuper coniecisset: rursus dixit, duplo eum ingratius ita faciendo se præstitisse, quàm prius fuerat gratus. Ita quod parabile est, diis placet: magisq; numen ad sacrificantium animum & mores, quàm ad hostiarum copiam spectat. Similia his Theopompus etiam memoriæ prodidit. Magnetem enim quẽdam ex Asia inquit prædiuitem hominem fuisse, qui cum copioso pecudum grege abundaret, per singulos annos diis multa, & magnifica sacrificia exhibere cõsueuerat, tum ob opum affluentiam, tum ob pietaté, & quia diis placere summopere studebat. Hunc

ita

ita affectum ad deum Delphos profectum cum sa crificiis fuisse, cumq; ibi magnifica hecatombarum pompa Apollinem fuisset ueneratus, ad oraculum consulendum fuisse ingressum: cumq; se præclarissime omnium diis cultum exhibere arbitraretur, pythiam interrogasse quisnam esset, qui optime & promptissime deum ueneraretur, eiq; gratissima sacrificia offerret, ratum fore ut sibi palma ea in re sine dubio concederetur: uateni autem respondisse omnium optime deos colere Clearchum, qui Methydrii, id Arcadiæ oppidum est, habitaret. Illum autem mirum in medum admiratum in animum induxisse suum, ut eo pergeret, atq; hominem conueniret, ab eoq; quo pacto sacrificaret, sciscitaretur. Cumq; Methydrium confestim se contulisset, primum quidem oppidi exiguitate & humilitate conspecta rem ita contempsisse, ut nedum inde priuatum quempiam, sed ne ciuitatem quidem totam præclarius, & magnificentius se uenerari deos posse existimaret: nihilo minus tamen ad hominem accessisse, ab eoq; requisiuisse, ut modum quo deos coleret, sibi explicaret. Clearchum uero ita dixisse: Ego quidem summa diligentia semper in constitutis temporibus diis sacrifico: dum & singulis quibusq; mẽsibus in nouiluniis Mercurium, & Hecatem, & reliquos deos quos maiores nostri nobis reliquerunt, corono,

atque orno,tureq; ipsis, & libis,& placentis sacrã offero: & quotannis publicas oblationes celebro, ita ut nullum solenne festum unquàm omittam: In quibus sanè non mactatis bobus,neque uictimis iugulatis deos placo, sed quibuslibet, quæ facile occurrerint. Atq; in primis illud studeo, ut ex omnibus tempestiuis frugibus quæ è terra mihi suppetunt,primitias diis reddam. alias siquidem mihi ad uescendum sumo,alias aris illorum adolere consueui. Nam cum eo sim contentus, quod mihi est satis, ut boues immolarem, adiicere animum nunquàm potui. Apud quosdam item monumentis literarum proditum est: quòd cum tyranni multo cum certamine inter se,& contentione post debellatos Carthaginenses Hecatombas eximias Apollini adduxissent, quibusq; delectaretur,maxime interrogassent,deus præter omnem ipsorum expectationem responderit, Docimi liba sibi accepta potissimum fuisse. is Delphicus erat asperi cuiusdã loci cultor, qui cũ ex agro eo die in urbem uenisset, ex appenso sacculo farinæ paucos quosdam manipulos obtulerat: quibus deum magis oblectarat,quàm illi qui sacrificia cã magnificentissimo apparatu exhibuerũt. Vnde ex poetis quidam ob rei perspicuitatem talia quædam uidetur asseruisse:quemadmodum in Mysti fabula Antiphanes differit:

Diis

Diis nanque simplex uilitas rerum placet. Cuiusce rei argumentum subiiciens,

Nã cũ boum, inquit, de grege sacrũ quis fecerit,
Post omnia aris turis additur uapor
Postremus: ampla ut cæterorum copia
Præferre nil nisi gloriam offerentium,
Vanosq; sumptus: quod ultimo infertur loco,
Videatur id placere diis, uel pauculum.

Quin & Menander in Moroso, fabulæ id est nomen, ita inquit.

Pia hinc oblatio turis, & libaminum,
Quæ iniecta flammis omnia accepit deus.

Propterea sane etiam figlinis uasis, & ligneis, & uimineis ad publica præsertim sacrificia uti consueuerant, deos oblectari ipsos rati. Vnde etiam nũc uetustissima uasa quæ figlina aut lignea fuerint, & ob materiam, & ob artis simplicitatem diuina esse magis existimantur. Nam Æschilum inquiunt, cum fratres rogarent, ut pæana in deum scriberet, dixisse optima à Tynnicho fuisse conscripta. quocirca sua si Tynnichi hymnis conferrentur, non secus fore accepta, quàm statuæ nouæ sint, si ueteribus cõparentur: illas enim licet simplici modo fabrefactæ sint, diuinas haberi: nouas quamuis accurate elaboratas, admirationi quidem ob artificiũ esse, longe minorem tamen in se habere diuinitatis existimationem. atq; iccirco merito Hesiodum

ueterum sacrificiorum legem commendantem dixisse: Ut populus sacrum faciat, uetus optima lex est. At qui de sacrorum operatione, & sacrificiis scripserunt diligentiam in libaminibus seruádam præcipiunt, quippe cũ ea longe gratiora diis sint, quàm sacrificium quod ex animalium mactatione affertur. Sophocles item diis gratum sacrificiũ exponens in Polyido ita inquit:

Nam uellus oblatum erat ouis, erat uitium
Libamen, acini & bene reseruatus latex:
Farrago necnon fructuum promiscua:
Liquorq; oliuæ pinguis, & faberrime
Apis resinæ fictilis cera fauus.

Ueneranda autem erant in Delo ueterum monumenta, ex hyperboreis manipuligeris. Oportet igitur, ut expurgatis moribus ad deos accedamus, grata huiusce modi sacrificia, non sumptuosa ipsis oblaturi. Nunc uero si splendida ueste corpore non mundo induti fuerimus, ad puritatem sacrificiorum non satis esse existimant. Sin autẽ ubi corpus unà cum ueste nitidum reddiderit quispiam, non pura tamen à uitiis anima ad sacrificia offerenda accedat, nihil referre arbitrantur: quasi deus non eo potissimum delectetur, quod diuinissimum in nobis est, si pure admodum sit affectum, utpote quod cognatum ipsi sit. In Epidauro sanè templi hæc proscriptio habebatur:

Castus quisq; sacrũ tẽplũ ingrediatur, oportet. Esse aũt castum, est uolere sancta animo. Deũ autem nõ copia & magnitudine sacrificiorum, sed pia tenuitate delectari, uel ex eo esse perspicuũ potest, quod ex quotidiano cibo, qualecunq; id appositum fuerit, antequàm quicquam gustemus, libare diis omnes consueuimus, exiguum illud quidem, sed eius tamen exigui maxima omnium æstimatio est. Porrò cum ex multis Theophrastus patriis cuiusq; institutis antiquitus sacrificia ex fructibus, & prius etiam ex herba fieri consueuisse demonstrarit: postea libationum ritum exponit in hunc modum. Vetera sacra sobria apud plerosq; erant. Sobria autem sunt, quæ aquæ libationem admittunt. Postea mellis libatio subsequuta est. hunc enim liquidum fructum paratum ab apibus primum accepimus. Tum oleo libatum est. Postremo omnium uino. Hæc autem non solum legalium tabularum testimonio comprobantur, quæ quidem re uera Corybanticorum sacrorum è Creta quasi exempla quædam sunt: uerum etiam ab Empedocle confirmantur: qui cum de sacrificiis, & deorum genere loquatur, ita canit:

Nãq; illis mars nullus erat, nullus'ue tumultus
Neptunus'ue, aut Saturnus, nõ Iuppiter ullus,
Sed Cypris regina: quæ quidem est amicitia.

postea subdit.

Huic

Huic uariè pictis simulacris sacra ferebant,
Vnguentisq; inspergentes fragrantibus aras,
Sincera & myrrha, & redolenti ture piabant,
Mellis iactato imbuta libamine terra. Id quod nunc quoque quasi ueritatis quoddam uestigium apud nonnullos seruatur.

Taurorum at nullis horrebat cædibus ara.
Nam cum amicitia uidelicet, & erga cognatum consensio omnia obtineret, nullum quispiam occidebat, cætera animalia cognata sibi esse existimãs. Posteaquàm uero mars & tumultus, & omnis pugnæ, & bellorum occasio inuasit: tunc primum effectum est, ut a cognatorum cæde abstinuerit nemo. Quin etiam consideranda hæc in hunc modũ sunt. Sicut enim licet nobis cum hominibus cognatio sit, maleficos tamen qui quadã propriæ naturæ & prauitatis incitatione impulsi ad læsionem cuilibet inferendam inducuntur, interficiendos omnes & puniendos censemus: ita ex ratione carentibus animalibus ea occidere fortasse conuenit, quæ iniusta propria natura ac malefica sunt, ad nocendumq; & insultandum humano generi incitata. cætera uero quæ nulla huiuscemodi lædendi immanitate prædita sunt, interficere iniustum procul dubio est, non secus atq; homines qui iniurii non sunt. Id quod profecto nullum esse ius nobis cum cæteris animalibus nequaquam uidetur significare, pro

re,propterea q alia ex ipsis noxia & malefica sunt, alia minime, quemadmodum etiam ex hominibus. Nunquid igitur sacrificanda diis sunt ea quæ occidi debent? Sed quo pacto id fas est, cum praua natura sint? Nihilo enim magis ea quàm quæ manca & læsa sunt, offerri conuenit. Malorum enim primitias, non honoris causa sacrificia facie mus. Sed si modo mactanda diis animalia sunt, nihil nocentia mactanda sunt. sed nihil nocentia interficienda non esse constat: neque igitur diis sunt sacrificanda. Quòd si neque hæc, neque malefica immolari debent, nonne perspicuum est, maxime omnium abstinendum ab animalibus, neque ex ipsis sacrificandum esse, etiam si interficienda aliqua ex ipsis sint? Adde quòd tres causæ sunt, ob quas sacrificandum diis esse uideatur. uel enim honoris, uel gratiarum, uel bonorum indigentiæ causa sicut bonis uiris, ita diis oblationes faciendas esse existimamus. Honoramus autē deos, uel dum à malis liberari, & ad bona consequenda præparari studemus: uel cum beneficio aliquo affecti grate nos gerimus: uel ea causa ut emolumentum aliquod adipiscamur: uel sola bonitatis eorū ueneratione inducti. Qua re si offerenda animalia diis sunt, aliqua huiusmodi de causa sunt sacrificanda: quippe cum ob aliquid ex his facere diis sacrificia soleamus. Nunquid igitur honorem à no

bis consequi deus existimaturus est, si iniuste nos gerere statim uel ex ipsa oblatione uideamur? an non potius se ignominia eo sacrificio affici puta- bit? At si in sacrificando animalia quæ nullam of- fensionem afferunt, mactauerimus, iniuste nos fa- cturos concessum est. Honoris igitur causa nul- lum ex cæteris animalibus sacrificandum diis est. Sed neque ut gratias ob beneficia referamus. Qui enim dignas gratias beneficii & benignitatis red- dere uult, non ex aliena iniuria referre eas debet. nihilo enim magis grate uidebitur se gerere, quàm ille qui ab alio quicpiam furatus, eo honestare aliũ uelit. Neq; item præsidii alicuius causa à diis impe trandi mactari animalia conuenit. Qui enim iniu ste agendo beneficium ab alio consequi studet, is in suspicionem uenit, se nullorum beneficiorum gratias esse habiturum. ita ut neque beneficium aliquod cupientibus sacrificanda animalia omni- no sint. Nam licet huiuscemodi aliquid ita occulte agere fortasse ualeamus, ut incompertum homi- ni alicui sit, deum tamen latere nullo modo possu mus. Si igitur alicuius horum causa sacrificandum est: nullius autem horum causa mactanda anima lia sunt: non esse sacrificanda animalia manifestũ est. Nos uero dum uoluptatibus quibus ex sacrifi ciis fruimur, ueritatem horum delere conamur, la- temus nos ipsos, non deum. Nam ex iis animali-

bus,

bus, quæ nullum ad uitam humanam usum præstant, nullamq; in fruendo oblectationem afferũt, nullum diis in sacrificiis adhibemus. Quis enim aut serpentes, aut scorpios, aut simias, aut tale quic piam diis unquam sacrificauit? Sed quæ uitæ nostræ usui alicui sunt, quæq; aliquid ad fruendum in se habent, à nullo eorum abstinemus, sed sub prætextu numinis iugulamus re uera, & excoriamus. Boues enim & oues, nec non ceruos & aues, quin etiam ipsos qui munditiæ nullius participes sunt, sed iucunditatẽ tamen in fruendo nobis afferunt, porcos diis mactamus. Quorum quidem alia laborando uitæ humanæ subsidio sunt: alia ci bos, & cætera cõmoda nobis suppeditant: alia nihil ex his præstant: sed ob solã fruendi cupiditatẽ, non secus atq; ea quæ utilia sunt, ab hominibus in sacrificiis occidi consueuerunt. Asinos autẽ, aut elephantes, atque omnino aliud quod licet collaborando adiumento sit, ad fruendum tamen est ineptum, minime sacrificamus. Adde quòd sacrificiis etiam omissis ab huiuscemodi utilibus animalibus nõ abstinemus, sed ea uescẽdi tantum causa oc cidimus. atque ex iis quoque quæ apta sacrificiis sunt, non quæ diis sint gratiora, sed quæ cupiditatibus nostris iucundiora ad fruendum sint, mactare consueuimus. atque inde aduersus nos ipsos testificamur, nos fruendæ oblectationis nostræ, non

deorum causa in sacrificiorum obseruatione persi stere. Atqui ex Syris Iudæi qui ex ueteri illo primo sacrificio adhuc quoque, ut inquit Theophrastus, animalia sacrificant, si eodem modo quo ipsi sacrificare nos uellent, à negocio proculdubio desisteremus. non enim ex sacrificatorum carnibus epulantur, sed totam in ignem coniectam hostiam multo insuper & melle & uino instillato noctu celeriter absumunt, ne qui omnia intuetur sol, facinoris spectator efficiatur: atque id diebus intercedentibus ieiuniis uacantes agunt. ac per totum id tempus, utpote genere philosophi, de deo inter se colloquuntur: noctu uero stellas contemplantur, dum in eas suspiciunt, ac quibusdam precibus & uotis deum implorant. Hi enim & ex cæteris animalibus, & ex sese ipsis necessitate, non cupiditate aliqua inducti sacrificia obtulerũt. Id quod cognoscere inde quispiam posset, si doctissimos omnium Ægyptios inspiceret, qui ab interficiendis cæteris animalibus tantum abfuerunt, ut eorum imagines deorum imitationem sibi esse constituerint. adeo affinia ea & cognata diis, & hominibus esse existimabant. A principio enim fructuum sacrificia diis offerebantur. procedente uero tempore cum fructuum inopia laborarent homines, & neglecta paulatim sanctitate ob legittimi alimenti defectũ ad se mutuo comedendos inducti essent, tunc mul

tis precibus & supplicationibus ad deum effusis ex sese ipsis immolationes faciebant: neque solum quicquid pulcherrimum inter ipsos erat, id diis cō secrabant: uerum etiam ultra ea quæ erant pulcherrima hæc generis sui mactatio progrediebatur. Ex qua quidem consuetudine adhuc usq; non in Arcadia tantum in Lycæis, neq; Carthagine Saturno publice omnes hominum hostias mactant: sed etiam ex anniuersario circuitu in instituti memoriam cognato sanguine aras inspergunt. quamuis sacrificium apud ipsos eum à sacris arceat, lustrationum circumscriptione, & edicto, si quis sanguinis humani & cædis auctor extiterit. Inde autē progressi cæterorum animaliū corpora pro suis in sacrificiis substituerunt. Postea cum legitimi cibi satietate in obliuionem pietatis uenissent, inexplebili quadam cupiditate ad omnia gustanda & comedenda inducti sunt. Id quod in cibo ex fructibus nunc omnibus euenire consueuit. Vbi enim eorum assumptione naturali defectui succurrerint, superuacuam satietatem quærentes, multa in cibum condiunt, quæ temperantiæ terminos excedunt. Vnde quasi non ignobilia diis sacrificia exhiberent, ad ea comedenda progressi sunt. atq; ex principio actionis huius alimento ex fructibus animalium esus hominibus adiunctus est. Sicut enim antiquitus fructus diis offerebant, atque ex

 iisdem

iisdem iucunde post sanctimoniam uescebantur: ita ubi animalia sacrificassent, idem sibi esse faciẽdum existimarunt. Cum tamen antiquitus non ita sanctitas hæc instituisset: sed fructibus deos uenerarentur, quibus & natura, & omnis hominum animæ sensus oblectabatur.

Taurorum at nullis horrebat cædibus ara:
Sed magnũ tunc mortales scelus esse putabāt
Erepta pecudum uita membra ipsa uorare.

Id quod ex ara quæ nunc etiam apud Delũ seruatur, uidere licet: quæ cum in ea nullum animal offerretur, aut mactaretur, piorum ara nuncupata est. Ita non solum à mactandis animalibus abstinebant, uerum etiam eos qui ipsam dedicauerant, ipsaq; utebantur, pietate præditos esse censuerunt. Iccirco Pythagorei cum huiuscemodi institutionem accepissent, ita toto uitæ curriculo ab esu animalium abstinebant. Quando uero in sacrificium diis aliquod pro se animal offerebant, ex eo tantum comedere consueuerant, à cæterorum uero degustatione alieni prorsus uiuebant. At non ita nos facimus: sed supra modum repleti in illegitimam maxime cõsuetudinem processimus. nam neque deorum aræ cæde imbuendæ sunt: neque hominibus huiuscemodi cibo, quẽadmodum neque propriorum corporum carnibus uescendum est. sed documentum uitæ illud facien

dum

dum, quod adhuc quoque obseruari Athenis solet. Antiquitus enim, sicut superius etiam diximus, cum fructus homines diis offerrent, animalia autem neque sacrificarent, neque in cibum sumerēt, dum publicum quoddam sacrum Athenis celebraretur, Diomum quendam aut Sopatrum ferunt, qui indigena quidem non erat, sed agros in Attica colebat, quia bos ab opere accedens ad mēsam ubi sacra puls & cætera libamina reposita erant, ut sacrificarentur, alia ex ipsis comederat, alia conculcarat, indignatum accurrisse, atq; à uicino arrepta securi quæ forte acuebatur, bestiam percussisse. cumq; bos ex uulnere interiisset, & ipse ira iã sedata animaduertisset, quod nam scelus perpetrasset, boue sepulturæ mandato ipsum aiunt uoluntario exilio suscepto ob impietatis crimen in Cretam fugisse. Cum uero siccitas, atque inde frugum sterilitas maxima Atticam inuasisset, publice consulendum oraculum statuerunt. Pythia respondit, exulem qui in Creta esset, ea expiaturum: si & interfectorem puniuissent, & mortuum suscitassent in eodem adipe in quo mortuus fuerat: id quod erat futurum, si & ex mortuo degustassent, & non obtinuissent. Habita igitur super hac re inquisitione, & inuento Sopatro, is cum se ab eo scelere liberatum iri existimaret, si id publice omnes agerent, ad eos qui ad ipsum reducen

dum

dum uenerant, interficiendum esse bouem à ciui- tate dixit: cum'q; illi dubitarent quis'nam esse futu rus, qui pecudi uulnus inferret, se id facturum pol licitus est, si ciuitate donaretur, ita ut participes cæ dis etiam ipsi efficerentur. Quod ubi concessum fuit, reuersi in urbem, rem ita instituerunt, quem- admodum nunc quoque apud ipsos obseruatur. Aquatrices uirgines elegerunt, quæ aquam iis fer rent qui securim, & cultum acuerent. Acuta securi & cultro, alter securim porrexit, alter ea accepta bouem percussit, alius uero iugulauit. Cum'q; eũ excoriassent, ex eius carnibus omnes epulati sunt. Postea uero corio consuto, ac fœno & paleis far- to bouem suscitarunt ea forma qua erat, cum ui- ueret, ei'q; aratrum quasi operanti applicuerunt. Quod ubi factum est, in iudicium cædis omnes cõ uocarũt, qui actionis eius participes fuerant. cum uero aquatrices in eos qui acuerant: qui acuerant, in eum qui securim tradiderat, is in eum qui iu- gularat: iugulator in cultrum crimen reiecisset, cul trum qui uoce carebat, cædis condemnarũt. Atq; ex eo tempore hucusq; in Diipoliis Athenis in ar ce hoc modo bouis sacrificiũ celebrãt. Pulte enim & libis in ænea mensa collocatis depascentes bo ues circũagitant: ex quibus qui è mensa degusta- rit, mactant. & familiæ eorum qui hæc faciũt, nũc etiam sunt, a Sopatro qui uulnerauit, qui bouici-

dæ appellantur: ab eo qui circumagitauit, stimulatores nuncupati: à iugulatore illi quos diuisores uocant, ex epulo quod ex carnium diuisione constituebatur. Vbi uero corio iam referto in iudiciũ est uentum, cultrum in mare proiectum demergunt. Ita neque antiquitus animalia quæ uitæ hominum adiutricia essent, sanctum erat interficere: & nunc idem facere cauendum est. Et sicut prius ad sacrificia mactare hæc pium non erat: ita nunc edendi causa huiuscemodi animalia interficere sanctum non est existimandum. Si uero id ob expiationem erga deos faciendum est, contagio tamen ex corporibus omnis hæc est reiicienda: ne alimẽtum unde non conuenit, comparatum uiolentiæ nobis mutuo inferendæ iritamentum quoddam sit. Nam si nihil aliud res mali in se haberet, illud certe efficeret, ut ad nos mutuo inuadendos promptiores redderemur. Quibus enim sensus ab alienigenis lædendis declinat, eorum mentem à cognatorum iniuria abstinere perspicuum est. Omnium igitur optimum fortasse esset, si statim in posterũ abstineremus: Quoniam uero qui peccatis careat, est nemo, reliquum est, ut peccata maiorum in cibis sumendis per expiationes saltem posteris relinquantur. Id autem efficeretur, si ante oculos scelere nobis proposito, miseriam nostram deploraremus una cum Empedocle.

Hei mihi q̃ fati sors me non ante peremit,
Quàm dapibus patres temerassent ora scelestis.
Nam proprio sensu ob peccata ita affici, hominum præsentibus malis remedium aliquod quærentium est: ut pia & casta sacrificia numini unusquisque offerens cum sanctitate id faciat, & utilitatem à diis consequatur. Prima autem & præcipua utilitas frugum est, ex quibus solis offerendæ diis primitiæ sunt, & terræ etiam quæ ipsas produxit. Communis enim ea est & deorum & hominum uesta ac focus. Debemusq́; omnes in ea utpote nutrice & matre nostra reclinati celebrare ipsam laudibus, & perinde ac parentem amare ac colere. Ita enim uitæ commutationem consequuti digni efficeremur, ut rursus in cœlum ad uniuersum cœlestium deorum cœtum nobis aditus pateret. quos nunc suspicientes uenerari his debemus, quos nobis suppeditant fructus, primitiisq́; eorum omnes colere, non tamen omnes nos esse idoneos existimare, qui diis sacrificia offeramus. Quemadmodum enim non omnia sacrificanda diis sunt, ita neque ab omnibus fortasse grata diis sacrificia fieri, arbitrandum est. Summa igitur rationum, q̃ sacrificanda animalia non sint, exceptis fabulis quæ interiectæ sunt, paucisq́; à nobis breuiter adiunctis, ex Theoprasto hæc est. Ego uero instituta quæ apud singulos inualuerunt, dissoluere non conten

derim: non enim de republica nunc differere mihi propositum est: sed cũ leges concedant, sub quibus degimus, ut tenuissimis etiam quibusq; & inanimatis numen ueneremur, quod frugalissimũ est, eligentes, & lege ciuitatis sacrificabimus, & ipsi dabimus operam, ut puri undecunque ad deos accedentes conueniens sacrificium offeramus. Omnino enim si sacrificium primitiarum rationem obtinet, gratiarumq; actionẽ ob ea quæ à diis ad usum uitæ accepimus: absurdissimum esse uideretur, si nos ab animatis abstinentes diis oblationes ex ipsis faceremus, quippe cum dii deteriores nobis minime sint, ut quibus nos non indigemus, ipsi indigeant. Accedit ꝙ neque sanctum est, ut ex eo cibo primitias offeramus, à quo abstinemus. Huiuscemodi enim etiam esse hominum consuetudinem deprehendimus: ut quando ex animatis non uescebantur, neque ex ipsis sacra facerent: sed ex eo primitias offerrent, quod comedebant. Quare etiam nunc conuenit scilicet, ut is qui ab animalibus abstinet, oblationes ex iis faciat, quæ attingit. Sacrificabimus igitur etiam nos, sed sacrificabimus, sicut decet, diuersa sacrificia, utpote diuersis potestatibus offerentes. Deo sanè illi qui supra omnes est, quemadmodum sapiens quidam uir inquit, nihil quod sensibile sit, neque suffientes, neque nominantes. Nihil enim materiale est, quod immate

 riali

riali continuo impurum non sit. Iccirco neque uerbum huic quod uoce exprimitur, est accommodatum: neque quod intrinsecus est, si affectu animæ fuerit inquinatum. Sed pura anima, purisq; de eo notionibus ipsum adoramus. Oportet igitur ut cõiuncti cum eo, similesq; ipsi effecti nostram ipsorum mentis eleuationem sacram hostiam deo offeramus: quæ eadem & hymnus, & salus nostra est. In affectuum igitur uacua animæ cõtemplatione Dei huius sacrificium absoluitur. Prognatis uero ex ipso & intelligibilibus diis uerbis iam etiam expressus hymnus accedit. Vnicuiq; enim ex iis quæ dedit, sacrificium offertur, & ex quibus nos nutrit, & conseruat. Sicut igitur agricola ex manipulis frugum, & baccis primitias offert: ita nos notiones de ipsis, & uerba offeremus, gratias agentes, q; contemplationem nobis tradiderint: quòdq; nos sui spectatione nobiscum uersando, & apparẽdo, & salutem nostram illustrando re uera nutriãt. Nunc uero hoc facere etiam multi recusant ex iis qui philosophiæ studuerunt: sed gloriam potius sectantes, quàm numen colentes circa statuas deuoluuntur: neque ulla habita consideratione quò deueniendum ipsis aut sit, aut non sit: neque ullo studio adhibito, ut quousque & quantum hac in re esset procedendum, à diuinarũ rerum sapientia præditis discerent. Sed nos cum istis nihil contendemus:

demus: neq; quicpiam huiusmodi dignoscere stu-
debimus: sed sanctos & ueteres imitati, plurimum
diis ex contemplatione offeremus, quam nobis trã
diderunt, quaq; ad ueram salutem consequendam
maxime indigemus. Ac Pythagorei quidem in nu
merorum & linearum studio uersantes, ex his plu
rimum diis consecrabant: cum certum quendam
numerum Mineruam, alium Dianam, alium item
Apollinem appellarent: nec non iustitiæ alium, aliũ
temperantiæ nomine nuncuparent: & simili modo
in figuris quoq;, & descriptionibus uterentur. atq;
adeo huiuscemodi primitiis diis erant accepti, ut
eorum præsentia suis quemq; dedicationibus inuo
cando fruerentur, & ad uaticinium sæpe ipsorum
ope uterentur, & si qua alia in re opus inquisitio-
ne erat. Diis uero qui intus in ipso cœlo sunt, tam
errantibus, quàm non errantibus, inter quos prin
cipatum obtinere primum solem, deinde lunam
censendum est, ignem etiam ipsis cognatum accen
dere iam licet, si modo ea quæ inquit Theologus,
etiam fecerimus. Inquit autem animatum nullum
esse sacrificandum, sed usq; ad farinam, & mel, &
ex terra orientes fructus, floresq; in primitiis esse
procedendum, neque à cruẽtato foco, inquit, ignis
existat: & quæcũq; ille subiungit. Quid enim opus
est, ut inde ea omnia huc transcribamus? Nouit
autem qui curam pietatis aliquam habet, diis qui-

dem nullum animatum sacrificari debere, sed dæmonibus & aliis siue bonis, siue malis: ad quosq; his sacrificare, & quousq; ipsis indigentes pertineat. Sed mihi quidem cætera silentio inuoluantur. Quæ uero nonnulli Platonici euulgarunt, ea in medium intelligentibus ad propositæ rei explicationem mihi esse proferenda censeo. Dicunt autem illi in hunc modum. Primus quidem Deus cum incorporeus sit, & immobilis, & indiuisibilis, & neque in aliquo sit, neq; in seipsum deuinctus, nulla extrinsecus re indiget, quemadmodum dictum est. Quin neq; ipsa mũdi anima externa re aliqua eget: cum illud in se habeat, ut & tribus dimensionibus absoluatur, atq; ex sese naturaliter moueatur: & natura proponat atq; eligat bene & ordinate moueri, & mouere mundi corpus optimis rationibus, corpusq; in seipsam admiserit, & complexa sit, licet ipsa incorporea, & affectionis omnis expers habeatur. Reliquis autem diis, mundo, & errantibus & non errantibus, qui ex anima & corpore constant, uisibilesq; dii sunt, inanimatis sacrificiis eo modo quo dictum est, agi gratiæ debent. Reliqua est inuisibilium multitudo, quos dæmonas indistinctos Plato dixit. Ex his autem illi qui nominati ab hominibus sunt, apud singulos honores diis æquales, & reliquum cultum consequũtur: qui uero plerunq; non admodũ nominati sunt,

a nonnullis per uicos, uel aliquas ciuitates & nomen & uenerationem occulte nanciscuntur. Cætera multitudo communi dæmonum nomine nũcupatur. De omnibus autem persuasum homines id habent, eos si irati fuerint, quia negligantur, & instituto cultu defraudentur, læsionem esse illaturos: contra bene facturos iis qui uotis, & supplicationibus, & sacrificiis, aliisq; huiusmodi eos sibi propitios reddiderint. Sed cum de ipsis confusa notitia sit, in multamq; calumniam abeat, naturam eorum oratione distinguamus, necesse est. Fortasse enim necessarium esse inquiunt, ut unde error de ipsis hominibus incidit, manifestetur. Diuisione igitur utendum in hunc modum est. Quæcũq; animæ ex uniuersa illa exortæ magnas quæ sub luna sunt, locorum partes gubernant, annixæ quidem spiritui, sed ipsi secundum rationem dominantes: eæ & dæmones boni existimandæ sunt, & qui ad utilitatem eorum quibus præsunt, omnia procurent: siue quibusdam animalibus præsideant, siue certis fructibus, siue illis quæ horum causa existunt: cuiusmodi sunt, imbres, uenti moderati, serenitates, temporum anni temperaturæ, atq; alia, quæ his cõducũt. Siue item artibus præsint, & iis quæ ad musicam attinent, eruditioniq; uniuersæ, medicinæ, exercitatoriæ, ac similibus. Fieri. n. nullo modo potest, ut hi & utilitates suppeditẽt, & damni auctores

res in iisdem efficiantur. Inter hos connumerandi illi etiam sunt, qui traducunt, ut inquit Plato, & ab hominibus ad deos, & a diis ad homines facta an nuntiant. Vota enim nostra ad deos tanquam ad iudices referentes, illorum consilia, & monitiones per uaticinia nobis explicant. Animæ uero quæ in coniunctum sibi spiritum nō dominantur, sed ple runq; etiam ab ipso superantur, atque inde agũtur uehementer, ac ferũtur, quando iræ & cupiditates spiritus incitationem fuerint adeptæ: eæ quidem etiam ipsæ dæmones, sed malefici tamen dæmones merito appellãtur. Atque omnes sane & isti, & qui cõtraria potestate sunt præditi, inuisibiles prorsus sunt, atq; eiusmodi, ut humanis sensibus percipi nullo modo queant. nō enim solidum corpus cir cumiectum habẽt: neq; unam formam omnes, sed figuris pluribus impressas. Formæ autem quæ spi ritum ipsorum notãt, interdum apparẽt, interdum obscuræ aspectui sese subtrahũt. Quandoq; etiam immutant formas, qui peiores ex ipsis sunt. Ac spi ritus quidem ipsorum in eo ꝙ corporeus est, affe ctionibus obnoxius, & corruptibilis est: quia ue ro ab animabus ita uinctus est, species eorum diu tius perseuerat, nō tamen est æterna: quippe cum defluere ex eo assidue aliquid uerisimile sit, & nu tritionem admittere. Bonorum corpora in æquabi li proportione constituta sunt, nō secus ac corpo

 ra

ra eorum quæ apparent: Maleficorum inæquabi-lia sunt. unde magis affectionibus obnoxia uici-num terræ locum obtinent. Nullum igitur malum est, quod efficere non aggrediantur. Violentos enim omnino, & subdolos mores habent: cumq; priuati custodia melioris dæmonis fuerint, uehe-mentes & repentinos quasi ex insidiis insultus fa-ciunt: ac modo latere student, modo uim apertam inferunt. Vnde celeria sunt quæ ab illis proueniũt mala: remedia uero, & correctiones quæ à melio-ribus dæmonibus procurantur, esse propterea tar diores uidentur: quia omne quod bonum est, cum rectu facile sit, & æquabile, ordine progreditur, op portunitatéq; ipsam non præterit. Si uero ita opi-neris, nunquam in absurdissimam illam sententiã incides, ut uel à bonis mala, uel à malis bona exi stere arbitreris. Non enim in hoc tantum rei ab-surditas consistit: sed accidit quoque, ut pessimas de diis opiniones concipientes pleriq; in omnes di uulgent. Nam hoc etiam unum ex maximis dam nis quæ à maleficis demonibus inferuntur, statuẽ-dum est, quòd cum ipsi calamitatum quæ circa ter ram contingunt, in causa sint: cuiusmodi sunt pesti lentiæ, sterilitates, terræ motus, siccitates, atque id genus cætera: nobis horum auctores illos etiam es se persuadent, qui maxime contrariorum, hoc est fertilitatum, & prosperitatum sunt: séq; ipsos à ca-

num, cum eloquutione ad admirationem & stupo= rem inducendum accommodata utatur, atque eius modi quæ sicut delinire animos, ita fidem facere re bus queat, quæ esse minime omnium possunt. Cũ tamen firmiter habere persuasum illud deberemus, neque bonum unquam lædere, neque malum iu= uare. Non enim caliditatis, ut inquit Plato, est, ut frigefaciat, sed contrarii: sic neque iusti est, ut læsio nem ullam inferat. Iustissimum autem profecto na tura omniũ est numen: alioqui nihil esset. Vis igi tur hæc & sors a beneficis dæmonibus præciden= da est. Facultas enim quæ lædere & natura solet, & uult, beneficæ proculdubio contraria est. contra= ria autem in eodem esse nullo modo possunt. Cũ itaq; istis multis in partibus, atq; interdum in ma= ximis mortale hominum genus lædant, boni dæ= mones sigillatim officia sua nunquam intermittũt: sed pericula nobis a maleficis impendentia pro ui ribus præmonstrant, dum & per somnia, & per ani mam diuinitus afflatam, aliaq; multa nobis signi= ficationes faciunt. ut si quis distinguere ea quæ si= gnificantur, posset, fraudes omnes cognosceret, ac præcaueret. Omnibus. n. significãt: sed nõ omnes percipiunt quæ significentur. neque omnes legere quæ scripta sunt, possunt: sed qui literas didicerũt. Per cõtrarios tamen dæmonas omnes etiam præ= stigiæ perficiuntur. Hos enim præcipue & præsidẽ

tem ipsis uenerantur, qui mala ueneficiis & cautionibus procurant. pleni enim spectris, imaginationibusq; sunt, & ad decipiendum prodigiosis fallaciis apti. Per hos illecebras & amatoria ueneficia infelices homines conficiunt. Omnis enim intemperantia, omnis diuitiarum spes, & gloriæ per hos existit, & præcipue deceptio. quippe cum mendacium ipsis proprium sit. Cupiunt enim dii haberi: & quæ præsidet ipsis potestas, uideri deus esse maximus uult. Isti sunt, qui libatione, & nidore oblectantur, quibus spiritale ipsorum corpus pinguescit. Viuit enim id uaporibus, & suffimentis & ex uariis uario modo: nidoribusq; ex sanguine & carnibus corroboratur. Iccirco prudens uir & temperans huiuscemodi uti sacrificiis cauebit, quibus ad se tales dæmones attrahat: & purgare animum omnibus modis studebit: propterea quod purũ animum ob dissimilitudinem quam cum eo habent, inuadere non soleant. Quod si ciuitatibus necesse est hos etiam placare, nihil id ad nos facit: quippe cum apud has & diuitiæ, & externa, & quæ ad corpus spectant, bona, & contraria mala esse existimentur: paucissimumq; sit quod ad animæ curam attineat. Nos uero quoad eius fieri poterit, iis non indigebimus, quæ isti exhibent: sed & ex anima, & ex externis omne studium impendemus, ut deo & iis qui circa ipsum sunt, similes efficiamur: id quod

fit

fit ex impatibilitate, & eorum quæ re uera sunt, distincta perceptione, & ad hæc ipsa tendente uita: malis autem hominibus & dæmonibus, & omnino unicuiq; mortali re & materiali gaudenti dissimiles ut euadamus. Quare iuxta ea quæ a Theophrasto dicta sunt, sacrificabimus etiam nos. Quibus theologi quoque consenserunt, cum nouerint, quantum nos affectuum animæ purgationẽ neglexerimus, tantum prauæ potestati coniungi: ita ut eam quoque demulcere nobis opus sit. Sicut enim dicunt theologi, qui deuincti externis rebus sunt, & nondũ affectibus dominantur, iis auertere huius quoque potestatis maleficium necesse est. alioqui à laboribus nunquam desistent. Husque uero quæ ad sacrificia attinẽt, explicata sint. Nunc quod a principio diximus, non esse necessarium, ut si sacrificanda animalia sunt, continuo etiã esse comedenda existimemus: non esse ex animalibus edendum demonstrabimus, etiam si aliquãdo necesse sit, ut sacrificentur. Omnes enim theologi in eo consentiunt, ut ex sacrificiis quæ auertendorum malorum causa fiunt, gustandum non esse quicpiam, sed utendum expiationibus asserant. ne enim in urbem inquiunt quispiam, aut in domum priuatam abeat, nisi prius & uestimenta & corpus fluuiis, aut fontibus expurgauerit. Vnde quibus etiam sacrificare permiserunt, iis a sacrifica

ra & consilia speculatur. Viri igitur diuini tam interna quàm externa puritas est, qui sicut ab animæ affectibus, & à cibis qui affectus incitant, abstinere studet: ita esca diuinæ sapientiæ fruitur, & similitudinem dei sibi rectis de eo cogitationibus conciliat; quiq; intellectuali sacrificio consecratur, & alba cum ueste, & nitida re uera impatibilitatis animæ, & leuitatis corporis, non alienis & externis succis in corpore, & perturbationibus in anima grauatus ad deum accedit. Non enim profectò in templis quæ ab hominibus dicata diis sunt, gestare puros, & macula omni carentes calceos debemus: in templo uero patris, qui mundus hic est, cura nulla habenda est, ut extima nostri cutanea tunica pura conseruetur, & cum ea pura & nitida ingrediamur. Nam si in eius tantummodo inquinatione periculum uersaretur, negligere fortasse id liceret. sed cum omne sensibile corpus defluxus quosdam materialium dæmonum secũ afferat, fit, ut simul cum impuritate quæ ex carnium & sanguinis esu existit, amica ipsi, & familiaris potestas ex similitudine, & cognatione etiam adsit. Quocirca recte theologi abstinentiæ curam præcipuam adhibebant: & Ægyptius nobis hæc manifestauit, causam maxime naturalem afferens, quam experiẽtia comprobauerat. Quoniam enim anima praua & irrationalis quæ uiolenter erepta corpus deseruit,

seruit, eidem assistit: quandoquidem hominũ quoque qui uiolenta morte intereunt, animæ ad corpus ipsum immorari consueuerũt: id quod ne quis se è corpore uiolenter eiiciat, uetat. Quoniam igitur uiolentæ uiuentium cædes oblectari iis animas cogunt, quæ deseruerunt: prohibetur autem nullo modo anima ibi esse, quò cognatum quicpiam ipsum detrahit: unde etiam lamentari multæ uisæ sunt: insepultorum quoque animæ corporibus assident: quibus uenefici abutentes, ad ministerium suum uel totius corporis, uel partis alicuius detentione compellunt. Quia igitur & naturam prauæ animæ, & cognationem, & uoluptatem animaduerterant, quam erga corpora ex quibus auulsa fuerit, habere consueuit, non iniuria esum carnium euitarunt: ne alienis animabus uiolenter ereptis, & impuris ad cognata sibi attractis interturbarentur, impedirenturq; quo minus soli ad deum accederent præsentia dæmonum interpellari. Cognati enim corporis naturam attrahendæ animæ illecebram esse, experientia in pluribus ipsos docuit. Nam qui in se uaticinatoriorum animalium animas excipere cupiunt, præcipua illorũ membra, corda uidelicet coruorum, aut talparum, aut accipitrum deuorant, utpote quæ assidentẽ animam dei instar uaticinantem habeant, quæ unà cũ corporis iniectione in ipsos quoque sese insinuet.

Merito

Merito igitur philosophus, deiq; qui supra omnes est sacerdos ab omni animatorum esu abstinet: dum soli deo solus accedere per seipsum studet sine ulla comitātium interturbatione: estq; cautus, & signa futurorum percipit, & rerum naturas intelligit, prudens, temperatus, modestus, atq; undecūq; salutem suam procurans. Et quemadmodum qui alicuius particularis dei est sacerdos, & dedicationis statuarum eius, & sacrificiorum, & ceremoniarum, & expiationum, & similium peritus est: sic omnibus præsidentis dei sacerdos simulacrorum eius, expiationum, aliorumq; omnium quibus ipsi coniungitur, experientia callet. Quod si eorum qui hic sunt, sacerdotes & sacrifici & sibi & aliis iubet, ut a sepulcris, & hominibus profanis, & mēstruatis, & coitu, & spectaculo etiam turpi, & lugubri, necnon ab audiendis iis abstineant, quæ affectus mouent: propterea quod sæpenumero ob præsentes etiam impuros appareat aliquid, quod sacrificū, & aruspicem turbet: unde etiam importune sacrificare detrimentum maius, quam lucrum afferre aiunt: nunquid ille qui summi patris sacerdos est, fieri ipse mortuorum corporum sepulcrum sustinebit, ipse sordium plenus, cum uersari, cum præstantiore studeat? Nonne satis est, quod mortis partes in fructibus in nostram hanc uitā assumamus? Sed nondum de his agere est locus. Redeundum

enim est ad ea exactius distinguenda quæ ad sacrificia spectant. Dicere enim quispiam posset, nos magnam partem diuinationis, quæ per exta fieri consueuit, esse sublaturos, si à cæde animalium abstinuerimus. Sed is homines etiam interficiat, quãdoquidem in eius extis magis, ut aiunt, futura conspiciantur: & multi quoque ex barbaris per hominum exta aruspicinam exerceant. Sed sicut iniustitiæ & immanitatis erat diuinationis causa cognatum genus occidere: sic uaticinandi causa irrationale animal mactare iniustum est. Vtrum autem signa dii, an dæmones præmonstrent, an anima quæ ab animali discedit, per extorum signa ad interrogationem respondeat, inquirere præsentis disputationis non est. Quibus tamen uita ad externa deuoluitur, iis permittimus, ut semel impietate in se suscepta eò ferantur, quò ferri solent. At quẽ nos philosophum describimus, qui ab externis abstineat, cum merito asserimus neque dæmonibus negocium esse allaturum, neq; uatibus, aut extis animalium ullum opus esse habiturum: quippe cũ ab iis abstinere studeat, quorum causa fieri diuinationes consueuerint. Non enim ad nuptias, aut mercaturam spectat, ut de his suscitaturus uatem sit: non de seruo, non de fortunis, non de honoris incremento, aliisq; huiusmodi humanis ambitionibus consulenda ipsi diuinatio est. Sed quæ inquirit

rit,eiusmodi sunt,ut neque uates ullus, neque ulla animalium exta indicare eorum certitudinem queant: sed ipse, ut diximus, per sese ipsum ad deum accedens, qui in uisceribus suis ueris collocatus est, de æterna uita monitiones accipit, totus illuc contractus,& loco uatis, magni Iouis alloquutor effici cupiens. Nam si etiam aliqua necessitas urgeat,non desunt dæmones boni,qui huic qui ita uiuit, familiarisq; dei est,occurrentes & per somnia, & per signa,& per uisionem quod eventurum est, quodq; est euitandũ,prænuncient. Tantũ absistendum à malo est:& agnoscendum quod in uniuersis est preciosissimũ,atq; honoratissimũ,& omne quod in uniuerso est bonũ,amicum atq; affabile. Sed improbitas & diuinorum imperitia mirum est,quàm prompte spernere,& damnare ea quæ non nouit, consueuerit. Iis tamen qui idonei ad audiendum sunt,natura clamat: quæ cum intellectualis sit,per intellectum sacris eos initiat, qui ipsam colunt. Adde quod etiam si quis prænoscendorum futurorum causa sacrificandi ritum admiserit, non ex eo tamen sequitur, ut carnes quoque comedendæ necessario sint. quemadmodum neque quod alioqui fit sacrificium siue diis, siue dæmonibus, continuo etiam esum carnium introducit. Nam historia nõ solum ea quæ Theophrastus commemorauit, uerum etiam alia complura, de hominis mactatione,

qua ueteres utebantur, memoriæ prodidit: nec propterea comedendos esse homines cōstat. Quæ quidem cum multa ac uaria sint, pauca hæc quæ subiungam satis futura ad hoc comprobandum esse existimo. In Rhodo enim pridie nonas Iulias homo Saturno sacrificabatur. atq; ea consuetudo cum diutius perdurasset, mutata postea humaniorem in modum fuit. Aliquem publico iudicio morte damnatum in carcere usque ad Saturnalia detinebant: quem ubi solennis dies aduenerat, extra portas productum è regione delubri Aristobulæ uini potione exhibita iugulabant. In ea uero quæ nunc Salamina, prius Coronis appellabatur, mēse iuxta Cyprium morem Venereo Agraulo Cecropis, & Agraulidis nymphæ filiæ homo in sacrificiis mactabatur. qui quidem mos usq; ad Diomedis tempora perseuerauit: deinde ita transmutatus est, ut Diomedi homo sacrificaret̃. Vno enim & eodem parietum ambitu & Mineruæ & Agrauli & Diomedis sacellum concludebatur. Qui immolabatur, ab adolescentibus deductus primum circum aram ter circuncurrebat: deinde a sacerdote hasta in guttur adacta feriebatur: atque ita supra coacervatam pyram coniectus integer cremabatur. Institutum hoc Diphilus Cypri rex qui Seleuci theologi temporibus fuit, sustulit, in bouis immolationem mutato sacrificio. Dæmon autem

bouem loco hominis admisit,ut inde utriusque fa=cti æqualem uim proculdubio significet. Heliopo=li item Ægypti legem de mactandis hominibus Amosis abrogauit:ut in libro de antiquitate,& pie tate Manethos testatur. Mactabantur autem Iu=noni,& explorabantur,nõ secus ac puri uituli qui inquiri,ac nota insigniri consueuerant. Ac tres qui dem in die immolabantur, in quorum locum to=tidem cereas imagines Amosis substituendas iuss=sit. In Chio quoque hominem discerpentes Oma=dio Bacco in sacrificium offerebant:necnon in Te nedo,ut Euelpis Carystius inquit. Quin etiá La=cedæmonios Marti hominem sacrificare Apollo=dorus memoriæ prodidit. Phœnices quoq; in ma=gnis calamitatibus uel belli, uel siccitatis, uel pesti lentiæ ex carissimis sibi quempiam Saturno deuo uentes mactabant. Ac Phœnicum huiuscemodi sacrificiis referta historia est: quam a Sanchunia=thone Phœnicum lingua conscriptam Philo By=blius in græcam transtulit,atque in octo libros di gessit. Ister autem in collectione cretensium sacrifi=ciorũ Curetas inquit antiquitus pueros Saturno mactare consueuisse. Plerasque autem hominum mactationes sub Adriano imperatore apud oẽs ferè sublatas fuisse is inquit,qui mysteria Mithræ optime collegit. Nam in Laodicea quoque Sy=riæ Mineruæ quotannis uirgo occidebatur: nunc

cerua mactari consueuit. In Africa item Carthagi nenses sacrificium faciebant, quod Iphicrates sustu lit. Dumatii etiam Arabiæ populi per singulos an nos puellam immolabant, quam sub ara sepelie= bant, qua pro simulacro utebantur. Phylarchus uero communiter omnes græcos prius quàm in bellum exirent, sacrificare hominem tradit consuè uisse. Omitto Thracas & Scythas. Prætereo quòd Athenienses Erechthei & Praxitheæ filiam in sa= cris mactarint. Quis adhuc quoque ignorat Me galopoli in Latiarii Iouis festo hominem solere iu= gulari? Nec tamen propterea hominum carnes co medendæ sunt. Necessitate enim aliqua effectum est ut in sacrificium homo fuerit assumptus. Nam fame laborantes in obsidionibus aliqui se mutuo comederunt: & tum ipsi scelere inquinati, tum fa= cinus impium existimatum est. Ac post primum quidem bellum quod de Sicilia à Romanis aduer sus Carthaginenses gestū est, cum phœnices mer= cenarii milites defecissent, simulq; alios pœnos in defectionem induxissent, Amilcar cognomento Balcas expeditione in ipsos facta in eam uictus inopiam redegit, ut primum eos qui in præliis ca derent, in cibum sumerent: deinde ubi illi quoque defecissent, captiuos occiderent, eorumq; carnibus uescerentur: postea in seruos manus iniicerent: po= stremo uero cum omnia alia iam cōsumpta essent,

in

in se mutuo conuersi sorte eductos commilitones comederent. Hos Amilcar ubi tandem expugnauit, atq; in potestatem recepit, elephantibus conculcandos curauit: quasi fas non esset, ut cum aliis hominibus amplius commiscerentur. Et neque ipse propterea q aliqui ausi id fuissent, hominũ esum unquam admisit: neque filius ipsius Annibal, cum quidam ei in Italiam exercitum ducenti consuleret, ut hominibus edendis exercitum assuefaceret, ne uictus inopia premi unquam possent. Non igitur quia fames & bella in causa fuerunt, ut cætera animalia in cibum adhiberemus, propterea etiam uoluptatis causa idem perpetrandum est. Quemadmodum neq; humanarum carnium esum unquam admisimus. Neq; quia potestatibus quibusdam animalia sacrificarunt, iccirco comedenda etiam ea sunt. quippe cũ neq; illi qui homines immolabant, ea de causa ipsorum quoq; carnibus uescerentur. Ex animaliũ igitur sacrificio non sequi, ut continuo comedere quoque eorum carnes debeamus, his satis, ut puto, demonstratũ est. Quin illud quoq; à theologis ipsis est cõfirmatũ, huiusce modi sacrificia quæ carnibus & sanguine fiũt, nõ diis sed dæmonibus ab illis offerri consueuisse, qui potestatum quæ in uniuerso sunt, naturam exploratam haberent. Nam alios ex ipsis dæmonibus maleficos, alios bonos ac benignos esse, qui turba

tionem tamen nullam nobis ſint allaturi, ſi ex iis tantum primitias obtulerimus, quibus ueſcimur, & uel corpus, uel animam enutrimus, ab iiſdem quoque aſſertum eſſe conſtat. Proinde ſi illud tantummodo adiunxerimus, ut uel quorumlibet hominũ minime deprauatas ac peruerſas ſentẽtias a recta de diis opinione non aberrare oſtendamus, libro finem imponemus. Dicunt itaque & ex poetis illi qui paululum ſapiunt:

Quis eſt adeo ſtultus, quis adeo credulus,
Et imperitus, ut deos ipſos putet
Fumante bili, & carne nudis oſſibus,
Quæ uel laborans fame non eſſet canis,
Lætari, & ipſum id accipere honoris loco?

Alius uero ait:

Tus, & placentas, libaq́ hic ſola offeram.
Nam non amicis macto, ſed cœleſtibus.

Quia etiam Apollo cum iuxta patria inſtituta ſacrificandum iubet, hoc eſt patrum noſtrorum more, referre omnia ad ueterem conſuetudinem uidetur. Vetus enim ſacrificandi mos, ut iam oſtendimus, erat ut libis, & frugibus tantummodo uterentur. Vnde & ſacrificia hoc eſt θυσίαι, καὶ θυηλαὶ καὶ θύματα, id eſt libamina, & ſuffimenta: & uerbũ ipſum θύειν, quod eſt ſacrificare, a ſuffiendo. i. ἀπὸ τοῦ θυμιᾶν dicebatur: id quod nũc ἐπιθύειν, ideſt ſuperſacrificare dicimus. quod enim nunc θύειν. i. ſacrificare dicimus,

mus ἔρδειν antiquitus, id eſt facere appellare conſueuerant.

'Sacra etenim, ut inquit, magno faciebant ſplendida Phœbo

Tauris, atque capris.

Qui autem ita ſumptuoſa ac magnifica ſacrificia introduxerunt, ignorant quantam unà cum ipſis malorum copiam in uitam hominum inuexerint: ſuperſtitionem, luxum, opinionem de diis, quod corrumpi largitionibus queat, quod ſacrificiis iniuſtitiam redimant. Nam qua alia de cauſa alii terniones auricornes, ea eſt autem trium uictimarũ oblatio: alii centibouia hoc eſt hecatombas faciebant: Olympias uero Alexandri mater milia ex quibuſlibet ſacrificabat: niſi quia ſumptuoſus apparatus, ubi ſemel incepit, in ſuperſtitionem omnino inducit? Nam cum iuuenis ſumptuum magnificentiis, boumq; ut inquiunt, & aliorum animalium epulis oblectari deos cognorit, prompte admodum ſcilicet temperans efficietur: quo pacto enim ſi huiuſcemodi ſacrificia grata diis eſſe exiſtimet, non licere ſibi omnia iniuſte agere opinabitur? cum ſe peccata omnia non difficulter ſacrificiis redempturũ putet? At ſi contra perſuaſum id habuerit, deos ſicut uanis iſtis opum affluẽtiis minime indigere, ita ad mores accedentium reſpicere, rectaq; eorum de ipſis, rerumq; natura contemplationem maxi-

mi sacrificii loco admittere, nullo modo temperás, & sanctus, & iustus euasurus non est. Diis autem pura mens & anima affectibus carés optima oblatio est. Accommodatum item ipsis est, ut ex aliis quoq; moderate, non negligenter, sed omni cum promptitudine primitias consecremus. Esse enim honores similes debent bonorum præsessionibus, dum illis decedimus, atq; assurgimus, non pensionum solutionibus. non enim uidelicet ita homo dicet, si beneficii accepti es memor, meq; amas, amare te contra uolo, beneficium adaugens; quippe cum huiusce rei causa in te id cõtulerim: deo uero his iisdem satis non erit. Iccirco Plato bono uiro conuenire inquit sacrificare, & uersari semper cũ diis uotis, dedicationibus, sacrificiis, atque omni cultu: malum autem frustra multum laborem erga deos suscipere. Bonus enim & quæ sacrificanda, & à quibus abstinendum, quæq; sectanda, ex quibusq; primitiæ offerendæ diis sint, optime nouit. Prauus uero ex propria affectione, & ex iis quæ ipse appetit, honores diis offerens impie potius se gerit, quàm pie. Vnde neq; cum iis qui male assueti fuerint, Plato simul uersari philosophum debere existimat: quippe cum neque id gratum diis, neque hominibus utile futurum sit: sed dare quidem operam uult philosophum, ut in meliorem statum immutentur homines: si uero minus id potest, ip-

ſum in eorũ malas conſuetudines delabi non uult:
ſed nullius periculi, nulliusq́ infamiæ uulgi habita ratione recta uia progrediendum ipſi eſſe cenſet. Nam abſurda res ſane eſſet, ſi cum & Syri e piſcibus, & Hebrei ex ſuibus, & pleriq; ex Phœnicibus & Ægyptiis ex bobus fœminis guſtare nullo modo uelint, ſed cum reges multi uim inferrent, ſubire potius mortem, quàm inſtituta patria uiolare propoſuerint: nos naturæ leges, & diuina præcepta terrorum humanorum, aut maledicentiæ alicuius cauſa tranſgredi non uereremur. Magna profecto diuinus cœtus affici indignatione merito poſſet, deorum ſimul, & diuinorum uirorum, ſi ad prauorum hominum opiniones conuerſos, & uano quodam eorum rumore perterritos nos uideret, qui mortis meditationem aliis quotidie in uita præ nobis ferre conſueuimus.

PORPHYRII DE ABSTINENTIA AB ESV ANIMALIVM

LIBER TERTIVS.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

NEQVE ad temperantiam, & parſimoniam, neque ad pietatem, quæ maxime ad contemplatiuam uitam faciunt, animalium eſum conferre, ſed potius ipſis aduerſari, duobus o Firme Caſtrici ſuperioribus libris demonſtrauimus. Cũ uero iuſtitia præcipuam pulchritudinem ſuam in pietate erga deos obtineat, ea uero ex abſtinentia maxime exiſtat, timendum non eſt, ne ius erga homines aliqua ex parte uiolemus, ſi ſanctitatem erga deos ſeruauerimus. Ac Socrates quidem aduerſus eos qui uoluptatẽ eſſe ſummũ bonũ aſſerebant, neq; ſi omnes ſues & hirci id comprobarent, crediturum unquam ſe eſſe, in uoluptate felicitatem noſtram eſſe ſitam aiebat, quoad intellectus in omnibus dominaretur. Nos uero, neq; ſi

si omnes lupi & uultures carnium esum laudent, nunquam iusta dicere his concedemus, quousque homo innoxius natura fuerit, & à comparandis sibi ex aliena iniuria uoluptatibus abstinuerit. Quocirca ad disputationem de iustitia trãseamus: ac quia eam erga similia sola pertingere asserunt, qui decreto huic contradicunt, & propterea irrationalia animalia à iure omni erga homines excludũt: age, nos ueram simul ac Pythagoricam hac de re opinionem proferamus, atque animam omnẽ quæ sensus & memoriæ sit particeps, rationalem quoque esse demonstremus. Si enim demonstratum hoc fuerit, ius ad omnia animalia ex illorum etiam sententia pertinere constabit. Ea autem quæ apud ueteres memoriæ prodita sunt, summatim referemus. Cũ duplex igitur ratio, seu oratio sit ex Stoicorũ sententia, altera interna, hoc est ἐνδιάθετος, quæ in animo disposita est, altera externa, quæ uoce exprimitur, atque altera recta, altera deprauata: utra ex his animalia priuent, distinguendum uidetur. Nũquid recta tantum, & non absolute omni ratione carere ipsa aiunt, an omni prorsus tam quæ intrinsecus est, quàm quæ extrinsecus procedit? Omnis sane rationis priuationem penitus attribuere ipsis uidentur, non solius rectæ: nam alioqui non irrationalia, sed rationalia cætera quoque animalia non secus atque omnes fere homines apud ipsos

 sos

ſos haberentur: quippe cum ſapientes ex eorũ ſen-
tentia uel unus, uel duo ad ſummum reperiantur, in quibus ſolis recta ratio conſpicitur: reliqui praui omnes ſint, quamuis alii aliquantulũ proficiant, alii in prauitatis fuſione uoluti detineantur. Omnes tamẽnihilo minus rationales apud ipſos ſunt. Stoici igitur ex nimia ſui affectione inducti cætera omnia animalia irrationalia appellant, nomine hoc irrationalis exprimere id uolentes, quod priuatum omnino ratione eſt. At ſi uerum dicere oportet, non ſolum abſolute ratio in omnibus animalibus ſpectatur, uerum etiam in multis ex ipſis ratio eiuſmodi conſpicitur, quæ ſignificationes prope ad perfectionem accedentes præ ſe ferant. Quoniam igitur duplex ratio atq; oratio eſt, ut diximus, altera in animi diſpoſitione, altera in pronunciatione conſtituta: ab ea primum exordiemur quæ profertur, atq; in uoce conſiſtit. Si itaq; quæ extrinſecus profertur, oratio uox eſt quæ affectiones quæ intus & in anima ſunt, lingua ſignificat, atq; exprimit: hæc enim communis diffinitio eſt, nondum ulli ſectæ addicta, ſed quæ ſolam orationis notionem declarat: quid quæſo ex his deeſt cæteris animalibus quæ uoce prædita ſunt? Nonne etiam hæc prius in anima afficiuntur, priuſq; cogitant, quàm uoce exprimant. cogitationem enim id appello, quod in anima per ſilentium dicitur.

Cum

Cum igitur quicquid uoce per linguam efertur, quomodocunq; siue barbare, siue græce, siue canine, siue equine expressum fuerit, oratio sit, eius cætera quoq; animalia quæ uocem habent, capacia sunt: sed homines quidem lege humana loquũtur, cætera animalia uero ea lege qua á diis & natura concessum unicuiq; est. Si uero nos non intelligimus, quid id refert? Nam neq; Indorum Græci, neq; Scytharum, uel Thracum, uel Syrorum qui in Attica educati sunt, linguam percipiũt. Sed non secus ac gruum clangor alterius alteri uocis sonus accidere consueuit. cum tamen literata & articulata sua cuiusq; uox sit, quemadmodum nobis nostra: illiterata uero & inarticulata Syrorum, si ita incidat, aut Persarum nobis, sicut cæterorum animalium omnibus hominibus uox accidit. Quemadmodum enim nos sonitum quẽdam & strepitum solum percipimus, Scytharum uerbi causa loquutionis imperiti: ita ut clangorem edere, & nihil dearticulate explicare, sed uno quodam sonitu longiore aut breuiore uti illi nobis uideantur: atq; illa quidem soni uarietas in significationem nullam omnino nobis cadit: illis uero sicut nobis nostra loquutio, perceptu facilis occurrit, multamq; distinctionem affert: eodem modo in cæteris animalibus accidit. Ipsis siquidem uox sua cuiusq; pro singulorum genere clara ac perceptibilis

bilis est: nobis sonitus solus inanis significatione omni carens auditur. atq; id propterea euenit, quia nullum ex ipsis in lingua nostra eruditum ea interprete explicare nobis ea quæ apud cætera animalia dicerentur, potuerit. Si tamen credendum antiquis est, & iis qui ætate nostra, & maiorum nostrorum extiterunt, sunt qui percepisse & intellexisse cæterorum animalium loquutionem dicantur. Sicut & ueterum memoria Melampus & Tiresias, atq; alii huiusmodi: & nō multo ante Apollonius Tyaneus: de quo quidem fertur, q cum in amicorum consuetudine esset, atq; hirundo aduolasset, ac nescio quid cecinisset, eam dixerit aliis nūtiare, ut accelerarent, propterea quod asinus frumenti sarcina onustus extra urbem cecidisset, atq; id per terram diffusum iaceret. Amicus uero quidam noster narrare nobis solebat, se seruum puerum forte quadam habuisse, qui loquutiones auium optime perciperet, quæ essent omnes diuinatrices, & paulo post futura prænunciarent: priuatum uero ea intelligentia fuisse à matre ipsum aiebat, quæ cum timeret, ne regi dono mitteretur, in aures dormientis imminxerat. Cæterum ut hæc ob incredulitatis affectum qui in nobis est insitus, in præsentia omittamus, nonnullas nationes cognationem quandam habere ad animalium quorundam loquutionem percipiendam, nemo est,

qui

qui nesciat. Arabes coruorum, Tyrrheni aquilarũ garritus intelligunt. Fortasse uero nos quoque, & alii omnes homines omnium animalium uoces perciperemus, si etiam nostras aures draco abluisset. Varietas sane & diuersitas uocis eorum præ se ferre significationem quandam proculdubio uidetur. Alio enim modo cum timent: alio cum uocant: alio cum ad edendum inuitant: alio cum benigne se mutuo excipiunt: alio cum ad pugnam prouocant, clamare audiuntur. ac tanta quidem diuersitas est, ut difficilis admodum in his ob multitudinem distinctio obseruatu etiam illis sit, qui totam uitam in huiuscemodi negocio collocarunt. Nam augures garrituum cornicis & corui usque ad quendam numerum obseruatione facta, reliqua omiserunt, utpote quæ percipi ab homine nõ facile possent. Quando autem inter se non loquũtur, manifeste significant, etiam si non omnibus nobis nota ea sint. Quod si & nos imitari, & græcam linguã discere, & intelligere eos qui præsunt, conspiciantur, quis adeo impudens erit, ut ea esse rationalia propterea non concedat, quia ipse quæ dicunt, minime percipiat? Corui enim, & picæ, & crithaci, & psittaci homines imitãtur, memoresq; eorum sunt, quæ audiunt, & dum docentur, docẽtem auscultant, ac percipiunt. Quin multi etiam his quæ didicerant, peccantes in domo indicarunt,

ac manifestarũt. Indica uero hyena quam corocottam indigenæ appellant, etiam sine ullo præceptore ita humanum in morem loquitur, ut uentitare ad domos soleat, & euocare, quemcunque a se facile expugnari posse cognouit. carissimi enim, & eius cui omnino obsequeretur uocatus, loquutionem imitatur: ita ut Indi licet id sciant, ex similitudine decepti, ac uoci obsequentes, atque egredientes absumantur, ac pereant. Quod si non omnia animalia imitantur, neq; omnia ad discẽdam loquutionem nostram idonea sunt, quid id refert? nam neq; homines omnes dociles sunt, aut apti ad imitandas ne dum cæterorum animalium uoces, sed ne quinq; quidẽ aliquas loquutiones quæ apud homines sint. ut omittam quod aliqua ex ipsis etiam animalibus fortasse non loquantur, uel quia non doceantur, uel quia instrumentorum uocis ineptitudine præpediuntur. Nos quidem cum apud Carthaginem essemus, perdicem quandam mansuetam quæ aduolauerat, educauimus. ea procedente tempore in tantam mansuetudinem inducta est, ut non modo alluderet, adularetur, ac blandiretur, uerum etiam ad uocem nostram uicissim reclamaret, & quatenus fieri poterat, ẽt responderet, diuerso modo, quàm cum se mutuo uocare perdices consueuerunt. Non enim dum tacebam, sed dum loquebar, & uocabam, ipsa uicissim uocem

emittebat. Ex uoce item carentibus animalibus ita prompte nonnulla obsequuta fuisse dominis commemorantur, sicut ex hominibus nemo. Crassi enim Romani Muræna ita erat assueta, ut dum nomine uocaretur, ad ipsum accederet. quo quidẽ obsequio ita animum eius affecerat, ut qui trium filiorum amissionem antea mediocriter tulerat, mortuam ipsam luxerit. Multi quoq; anguillas in Arethusa, & saperdas circa Mæandrum uocantes audire memoriæ tradiderunt. Dicentis igitur imaginatio siue exeat in linguam, siue non exeat, eadem proculdubio est. Quare quo pacto absurdum non sit, si solam hominis uocem orationem uelimus appellare, propterea quòd a nobis percipitur, reliquas cæterorum animalium repudiemus, non uideo. Perinde enim est ac si corui solam suam orationem esse censerent, nos uero irrationales propterea putarent, quia non perspicua ipsis loquamur: aut Attici solam Atticam uocem orationem esse dicerent, cæteros autem qui Atticæ loquutionis essent expertes, irrationales esse existimarent. Et tamen corui citius uocem perciperet Atticus, quàm Syri, aut Persæ, Syrice, & Persice loquentium. Sed ex perceptione & ignoratione loquutionis, aut ex silentio & uoce rationale & irrationale iudicare consentaneum non est. propterea quòd eadem de causa & deum qui supra omnes est, &

cæteros omnes quia non loquuntur, non esse rationales dicere quispiam posset. Sed dii quidem tacendo res indicant. & eorum significationes aues celerius, quàm homines percipiunt, & percipientes nobis eo quo possunt modo, denuntiant. Et aliæ aliorum deorum nuntiæ hominibus sunt: Iouis aquila: Apollinis accipiter & coruus: Iunonis ciconia: crex, & noctua Mineruæ: Cereris grus, ac cæterorum aliæ. Quin etiam ex nobis ii qui obseruant, & simul cum aliquibus animalibus uitam traducunt, quid sibi uelint ipsorum uoces, agnoscunt. Venator siquidem ex latratus diuersitate canem modo quærere leporem, modo inuenisse, modo cepisse, modo temere uagari animaduertit. Bubulcus item bouem aliàs esurire, aliàs sitire, nunc defatigatum esse, nunc in uenerem incitari, modo uitulum quærere ex uario mugitu eius intelligit. Leo quoque rugitu minas præfert: sicut lupus ululatu affligtari se indicat. Balando etiam oues quare indigeant, pastoribus perspectum est. Sed neque ipsas hominum uox latet, siue irascantur, siue blandiantur, siue uocent, siue fugent, siue petere, aut dare quicpiam uelint: sed omnibus huiuscemodi uocibus accommodate obtemperare conspiciuntur. id quod fieri nullo modo posset, nisi quod simile intelligentia est, ad simile responderet. Mitigantur etiam modulationibus quibusdam cerui, & tau

ri, & alia animalia, & ex agrestibus mansueti red-duntur. Adde quod illi etiam ipsi qui irrationalia esse cætera animalia decernunt, dialecticæ quodá modo capaces esse canes asserunt, utiq; eo proposito quod ex pluribus disiunctum appellant, dum feras inuestigãdo in triuium aliquod peruenerint. Ita enim eos ratiocinari aiunt: uel hàc, uel istàc, uel illàc fera abiit: sed neq; hàc, neq; istàc: ergo illàc aufugit: quod ubi collegerunt, se in cursum illàc coniicere solere. Tam et si in promptu esse ipsis responsio potest, q̄ insita hæc natura habeant canes, propterea quod a nemine fuerint edocti: quasi uidelicet nos quoq; rationem seu orationem natura insitam non habeamus, etiam si quædam nomina postea ipsi imponamus, quia & ad id apti natura simus. Si tamē credendum Aristoteli est, cætera animalia docere natos suos conspiciuntur, non solum quo pacto aliquid aliud faciant, uerum etiā quo modo uocem emittant: sicut luscinia pullos suos canere docet. Atq; ut ipse etiam inquit, multa sunt, quæ a se mutuo, multa item quæ ab hominibus cætera animalia discere consueuerunt. cui sanè quod uerum dicat, omnes attestantur. omnes pulorum equinorum domitores, equisones omnes, equites, aurigæ, uenatores, bubulci, elephantorum præsides, omnes denique bestiarum atque auium magistri. Ex quorum quidem consideratio-

ne qui prudens atq; æquus æstimator rei est, intelligentiæ cætera quoq; animalia capacia esse procul dubio concedet, iniquus uero, atq; inconsideratus temere ad suo quod ex ipsis euenit, commodo patrocinandum feretur. à maledicendo enim & calumniando scilicet temperabit, qui trucidare ac cõtundere perinde ac lapidem ipsa non ueretur. At uero Aristoteles, Plato, Empedocles, Pythagoras, Democritus, atq; omnes qui ueritatem de ipsis inuestigare studuerunt, participes esse rationis cæteras quoq; animantes censuere. restat enim ut rationem atq; orationem quæ intrinsecus in animo disposita est, inesse quoq; in ipsis demonstremus. Videtur autem diuersitas esse, ut ipse quoque inquit Aristoteles, non in essentia, sed in eo quod magis & minus consideratur. Quo modo deos quoque nonnulli à nobis differre opinantur, ut discrimẽ inter nos & eos non in substantia, sed in magis uel minus exquisita ratione constitutum esse intelligatur. Ac quantum quidem ad sensus attinet, atque aliam instrumentariam tum sentientium partium, tum carnis totius dispositionem, non secus ac nos affecta esse cætera animalia, nemo ferè est, qui non concedat. Non enim solum in naturalibus affectionibus & motionibus quæ in his existunt, similitudinem nobiscum habent: uerum etiã in iis quæ præter naturam accidunt, morbosáq;

sunt,

sunt, magna inter nos & ipsa communicatio est. Neque enim ob diuersitatem habitus ac formæ corporis recte sentiens quispiam asserere ea expertia esse rationis atq; orationis debet: cum in hominibus quoq; multam huiuscemodi pro gentiũ, & populorum diuersitate uarietatem conspiciat, & tamen omnes nihilo minus esse rationales cõcedat. Asinus igitur, ut ad rem ueniamus, pituitæ destillatione corripi consueuit, quæ si in pulmonem defluxerit, non secus atq; homo malo conficitur, atq; interit. Equus suppuratus euadit, & sicut homo consumitur ac tabescit. rigor item æquum inuadit, & podagra, & febris, & rabies, quando etiam κατωπιᾷν, hoc est demisso in terram capite ferri dicitur. E qua uterum gestans si lucernam extinctam olfecerit, abortum facit: id quod contingere etiam homini solet. Bos quoque & febri corripitur, & furit, quemadmodum & camelus. At cornix & scabie & lepra afficitur, sicut etiã canis: sed canis tamen etiam podagram patitur, & rabie agitatur. Sus raucedine uexatur: ac magis etiam canis: unde morbus etiam in homine a cane κυνάγχη idest caninangina appellatus est. Atq; hæc nota nobis sunt, quia in animalibus contingunt, quæ nobiscum uersantur: aliorum uero multorum ob insuetudinem ignari sumus. Animalia præterea si execta fuerint, effœminantur: & galli

non

non amplius canunt, sed uocem in modum fœminæ immutant, sicut homines consueuerunt. Bouis item secti, & fœminæ cornua & uocem dignoscere non licet. Cerui uero cornua non amplius amittunt, sed retinent, sicut eunuchi capillos: si uero cornibus adhuc careant, cum execantur, ea nō amplius producunt: quemadmodum qui prius q̄ barbam emiserint, facti eunuchi sunt. Atque ita in omnibus ferè corpora eo modo quo nostra, in morbis suscipiendis se se habent. Animæ uero affectiones uide an non omnia quoque similia sint. Ac primum, ut de sensu agamus, non sanè hominis gustus succos, uisus colores, olfactus odores, sonos auditus, calida uero aut frigida atque alia eiusmodi tactus percipit: cæterorum autem animalium non percipit. neque enim carere sensibus cætera animalia dicenda sunt, quia non sunt homines. sicut neque nobis ratio est eripienda, quia rationales dii sunt. Immo longe superari nos ab aliis animalibus perspicuum est. Quis enim homo est, etiam si ille sit qui in fabulis fertur Lynceus, qui tantum cernat, quantum draco? à quo etiam uidere δρακεῖν a poetis dictū est. Aquilam uero è sublimi etiam aere despicientem dama non latet. Quis acutius audit quàm grues? quæ ex tanto interuallo percipere sonos consueuerunt, quanto ne prospicere quidem homines possunt.

possunt. Nam olfactu hominibus cætera ferè omnia animalia adeo antecellunt, ut eius sagacitatem illa quæ nos latent, minime effugiant: quippe cũ unumquodq; sigillatim ex uestigio ipso olfaciendo agnoscant. Vnde etiam homines ducatu canũ uti solent, ut intelligant, quà sibi ad aprum, aut ceruum inueniendum adeundum sit. Aeris uero constitutio sero à nobis, cito ab alijs animalibus tangitur, ita ut ab ipsis futuræ tempestatis argumenta sumamus. Succorum autem distinctionẽ adeo exactam habent, ut morbosa, & salubria & uenenosa melius & exquisitius discernant, quàm quiuis ex hominibus medicus queat. At quæ uegetioribus sensibus prædita sunt, ea esse etiam prudentiora Aristoteles asserit. Corporum uero diuersitas, ut uel facile, uel difficulter patiantur, uel magis, uel minus promptam rationem habeant, efficere potest: immutare uero animam in essentia nõ potest: quandoquidem neq; sensus, neq; affectiones aut immutauit, aut prorsus abstulit. In eo igitur esse differentiam concedendum est, quòd uel magis uel minus ratione seu oratione prædita sint, non quòd penitus ea careant: neq; quòd nos eam habeamus, illa non habeant. Quemadmodum.n. in uno & eodem genere corporum & in aptitudine, & ineptitudine ad sanitatem, aut morbum suscipiendum magna diuersitas est: sic in animabus

quoq; aliæ bonæ, aliæ prauæ reperiuntur: & ex prauis aliæ magis, aliæ minus eiusmodi sunt: & in bonis quoq; non eadem paritas est. neque enim bonus Socrates, & Aristoteles, & Plato simili modo est. Quin etiam neque in iis qui eiusdem sunt sententiæ, est eadem penitus conformitas. Non igitur si nos quoq; magis quàm cætera animalia intelligimus, adimenda propterea cæteris animalibus intelligentia est. Quemadmodum neque uolatu priuandæ perdices sunt, quia ipsis accipitres uehementius uolant: neque accipitres alii iccirco uolatu carere censendi sunt, quia ipsis & aliis omnibus præstat, qui palumbarius nuncupatur. Consensum igitur quendam habere animam cum corpore concedere quispiam posset, ita ut ab eo bene uel male affecto afficiatur quidem etiam ipsa, sed naturam tamen non mutet. Quod si simul cum corpore tantummodo afficitur anima, eo'q; ut instrumento utitur, multa per id, si diuerso modo quàm nostrum, fuerit dispositũ, facere poterit, quæ nos nequimus: simul'q; cum eo quodam modo affecto afficietur, non naturam immutabit. Rationalem itaq; animæ uim in cæteris quoq; animalibus esse, neq; ea prudentia carere demonstrandum est. Primum enim unumquodque imbecillum ne an robustum sit, optime nouit: atq; ob id ab aliis cauet, aliis ad defensionem sui utitur. Pardalis siquidem dẽtibus

ſe tuetur: leo unguibus, & item dentibus: equus ungulis: bos cornibus: gallus calcari: ſcorpius aculeo. Ægyptii uero ſerpentes ſputo ſe defendunt, unde etiam πτυάδες, hoc eſt ſputalitii appellantur: atq; eo inuadentium oculos petunt, atq; excæcant. atq; ita alio aliud ad ſalutem ſibi tuendam uti perſpicuum eſt. Præterea alia quæcunq; fortia ac robuſta ſunt, procul ab hominibus paſcuntur, ac degunt: imbecilliora atq; ignauiora contrà ſicut procul à ferocioribus aliis beſtiis, ita inter homines uitam ducere conſueuerunt: atq; ex his alia longius, ut paſſeres & hirundines in tectis: alia propius unà etiam cum ipſis hominibus, ut canes. Adde φ pro temporibus quoq; loca permutant, & norunt omnia, quæ ad utilitatem ſuam ſpectant. In piſcibus quoq;, & auibus ratio huiuſcemodi ac conſilium nihilo minus perſpici poteſt. Quæ quidem omnia late ac copioſe à ueteribus pertractantur in libris quos de animalium prudentia conſcripſerunt. inter quos Ariſtoteles, qui hæc accuratiſſime omnium perſequutus eſt, omnibus animalibus ad uictum, & ſalutem optime excogitata omnia eſſe inquit. Qui uero natura hæc ipſis ineſſe ait, ignorat ſe aſſerere, uel natura ipſa eſſe rationalia, uel non natura in nobis eſſe rationem: quippe quæ non quatenus natura apti ſimus, perfectionis ſuæ incrementum accipiat. Deus ſanè nequaquam

disciplina rationalis euasit: non enim unquã fuit, quando esset irrationalis: sed simul ac fuit, rationalis etiam extitit: neque obstare quicquam potuit, quo minus ita esset, cum nulla disciplina rationẽ acquisiuerit. At in animalibus, sicut etiam in hominibus, pleraq; sunt quæ natura edocuit: alia quæ postea disciplina comparantur. Discunt enim illa quædam à se mutuo, quædam, ut dictum iam est, etiam ab hominibus: prædita'q; memoria sunt, quæ ad susceptionem rationis & prudentiæ pars præcipua est. Accedit q; uitia quoque & inuidiæ in ipsis conspiciuntur, licet non ita late, sicut in hominibus, pateant. uitia enim ipsorum leuiora multo q̃ hominum sunt. Id quod conspicere inde facile possumus. Homo enim si domum ædificet, nunquàm fundamenta eius iaciet, nisi sobrius ac compos mẽtis sit: neque si nauim extruat, nisi sana mente sit, carinam substituet: neque si agrum colat, uitem cõseret, nisi ad id præcipue animum aduertat: liberis uero procreandis homines ferè omnes ebrii uacãt. At cætera animalia non ita se gerunt: sed sobolis causa fœtificant. ac pleraq; ex ipsis ubi grauidam fœminam reddiderint, neque ipsa inire amplius tentant, nec; si tentarint, fœmina id tolerat. Qua in re quanta hominum contumelia & intemperãtia existat, nemini dubium est. atque in cæteris animalibus alterius parturigines alterum etiam agno-

gnoſcit: ac pleraq; etiam ſimul parturiunt, quemadmodum gallinacei: quædam ſimul incubant, ut columbi: lociq; ubi parituri ſint, inquirendi curã habent. Vnumquodque item, ubi prolem edidit, & ſe, & in lucem editum fœtum expiat. In quibus ſi recte obſeruet quiſpiam, ordine ac ratione progredi omnia animaduertet. Nam & occurrere genitori blandiendo, & agnoſcere dominum, & indicare inſidias alienorum ea quæ gregalia ſunt, ut ſeruẽt ius quod inter ipſa eſt, ignorat nemo. id enim tum in formicis, tum in apibus, atque aliis ſimilibus manifeſtisſime patet. Quis palumbium caſtitate erga maritos ſuos neſcit? quæ ſi forte ab adultero compreſſæ fuerint, eum ſi deprehenderint, confodiunt, ac necant. Quis ciconiarum erga parentes iuſtitiam non perſpexit? Propria enim quædam in unoquoque uirtus excellit, ad quam à natura effectum idoneum eſt: ita ut neq; natura, neq; ſtabilitas uirtutum adimere ipſis rationalem uim debeat. Illud enim conuinci fortaſſe poſſet, ſi nõ opera uirtutum, rationaliſq; ſolertiæ cõſpicerentur. Quæ licet non intelligamus quo modo agantur, quia in cogitationem eorum penetrare non ualemus, non propterea tamen damnanda ita à nobis ſunt, ut ratione carere omnino exiſtimentur. Nam cum neque in dei mentem inſinuare nos ullo modo posſimus, ſolis operibus perſpectis aſſentimus

iis qui intellectualem & rationalem esse ipsum as-
seruerunt. Mirari autem merito quispiam istos pos
set, qui cum ex ratione ius constituant, & quæ so
cietatem nullam cum hominibus habent anima-
lia, agrestia, & iniusta appellent, non eousque ta-
men iustitiam porrigunt, ut ad ea etiam quibus cū
societas est, pertingere asserant. Quibus uidelicet
non secus atque hominibus sublata societate uita
etiam tollatur, necesse est. Aues enim & canes &
ex quadrupedibus multa alia, cuiusmodi sunt ca-
præ, equi, oues, asini, muli, si hominum societate fru
strentur, intereunt. ut quæ ipsa procreauit natu-
ra & ipsa in hominum, & homines in ipsorum in
digentia uideatur ea de causa constituisse, ut com-
mune ius & ipsis erga nos, & erga ipsa nobis in-
generaret. Quod si nonnulla sint, quæ aduersus ho
mines efferentur, mirandum nō est. Verum enim
illud est, quod ab Aristotele dicitur: si enim, in-
quit, alimenti copia omnibus suppeteret, neque ip
sa in se mutuo, neque in homines feritatem ullā
exercerent. Victus siquidem quamuis tenuis ac ne
cessarii, & sedis causa omnes ipsis & amicitiæ &
inimicitiæ existunt. Nam si homines in eam angu
stiam necessariarum rerum, qua cætera animalia
opprimuntur, redigerentur, quantonam illis quo
que quæ agrestia uidentur, feriores atque imma-
niores euasuros censendum est? Id bellum indi-
 cat,

cat, in quo ne à se ipsis quidem mutuo deuoran-
dis abstinent. quin etiam sine bello & fame man-
sueta quæ cum ipsis degunt animalia, necare ac co
medere non uerentur. At enim diceret quispiam,
esse quidem ea rationalia, non habere tamen re-
spectum aliquem erga nos. Irrationalia primum
ipsa faciebant, atq; ex eo quòd essent irrationalia,
nihil ad nos respicere affirmabant: deinde ex usu
quem ex ipsis percipimus, non ex ratione societa
tem erga ipsa esse nobis asserunt. Nobis uero ra-
tionalia ne sint, propositum est demonstrare, non
an nobiscum pactum ullum habeant. Quippe cũ
ex hominibus quoque non omnes nobiscum pa-
cto coniuncti sint: & nemo tamen propterea irra-
tionales esse dicat, qui nobiscum non consentiat.
Atqui multa etiam ex ipsis seruierunt hominibus,
& ut dixit quidam admodum recte, licet ex homi-
num ignorantia & iniuria seruirent, ipsa ex sapien
tia & iustitia ipsos dominos ministros & procura-
tores suos reddiderunt. Ac uitia quidem ipsorum
perspicua sunt, ex quibus rationalis facultas elu-
cet. Nam & inuident, & mares fœminas, fœminæ
item mares zelotypia prosequũtur. Vnum tamen
uitium ipsis deest, quòd beneuolos insidiis non ap
petunt: sed adeo affecta ipsis sunt, adeoq; sese ipsis
credunt, ut quocunque eos sequantur, etiam si ad
iugulationem, & manifestum periculum duxerint.

Et

Et quamuis sui causa non eorum ea nutriant, maxima beneuolentia in nutrientes feruntur. Homines uero in neminem ita insidiose conspirant, quẽ admodum in eum qui ipsos alit: nullius ita ut eius mortem optant. Quòd præterea cõsilio & ratione faciant ea quæ agunt, inde perspicuum est, quòd cum sæpe insidiosas esse escas porrectas animaduertant, incontinentia tamen, aut fame inducta accedere ad eas consueuerint. Alia siquidem non statim accedunt: alia cunctantur: alia tentant, an detracto ac uorato cibo discedere inde incolumia ualeant. Vbi fit, ut sæpe appetitu eo à ratione superato, abstineant, atq; abeant: quin etiam interdum fraudulento hominum commento insultent, atque immingant. Alia uero cupiditati ac gulæ succumbentia licet se capienda esse non ignorent, nihilo minus tamen perinde ac socii Vlyssis, modo se se ingurgitent, atque edant, morti se se exponere nõ dubitant. Nonnulli autem sunt, qui non male ex locis quæ sortita sunt, multa nobis esse prudentiora conentur demonstrare. Sicut enim quæ in æthere habitant, sunt rationalia, ita ea quoque esse aiũt, quæ adiacentem proxime locum obtinent, cuiusmodi sunt quæ in aere uitam traducunt: atque his aquatica, aquaticis terrestria pro distantiæ ratione adiungunt: quorum nos infimam regionem incolamus. Non enim uidelicet in diis ex loco

quoq;

quoque præstantia est consideranda, in mortalibus uero idem etiam faciendum non est. Cum uero artes etiam acquirant, atque eas humanas, discantq; & saltare, & aurigari, & gladiatorium certamen inire, & per funes ingredi: quin etiam scribere & legere, tibia item & cithara canere, nec non sagittare, & equitare: ambigere ne amplius poteris nunquid illam partem habeant quæ excipit, cum illud quod excipitur, in ipsis spectetur? Vbi enim excipiunt, si ratio non subest, in qua artes existũt? Neque enim tanquam sonum uocem nostram audiunt, sed signorum etiam diuersitatis perceptio ipsis est, quæ ex intelligentia rationali euenit. At enim humana, inquiunt, praue efficiunt. Sed ne homines quidem omnes recte: alioqui frustra uictores alii in certaminibus essent, alii uincerent. At non consultant, neque in concionibus deliberant, neque iudicia exercent. Quid mirum est, cum neque homines omnes id faciant? nonne multi ante quàm consultarint, agunt? Vnde præterea non consultare cætera animalia demonstrari potest? Huiusce quippe rei argumentum nullum extat, quod afferri queat: contrarii uero extant multa, quæ illi nobis sumministrant, qui singula quæq; de animalibus conscripsere. Cætera sane putida sunt, quæ contra declamitant. Vrbes ipsis, aiunt, nullæ sunt. At ne Scythis quidem, qui in plaustris

circumuagantur:neque etiam diis. Leges nullas ſcriptas habent. Sed ne hominibus quidem ullæ fuerunt, dum in felicitate perſtitere. Nam primus apud Græcos Apis dicitur leges inſtituiſſe, quando iam ipſis indiguerunt. Hominibus quidem edacitatis ac gulæ cauſa cætera animalia rationem habere nullam uidentur. At diis & diuinis uiris non ſecus ac ſacri miniſtri in ueneratione ſunt. Deus ſiquidem cum Ariſtodico Cumæo reſponſum daret, miniſtros ſuos eſſe paſſeres dixit. Socrates uero etiam per ipſos iurabat, & ante ipſum Rhadamanthus. Ægyptii autem in deos quoque ipſa retulerunt, ſiue quia re uera deos eſſe exiſtimarent, ſiue quia dedita opera diis boum, & auiũ, cæterorumq; animalium facies attribuerent, ut ab ipſis non ſecus atq; ab hominibus abſtinendum monerent: ſiue aliqua alia occultiore cauſa inducti. Ita etiam Græci Iouis ſtatuæ arietis, Bacchi ſimulacro tauri cornua adhibuerunt: Pana item ex homine & capro compoſuerunt: Muſas alis, nec non Sirenas inſtruxerunt. Simili modo & Victoriam & Irin, & Cupidinem & Mercurium alatos finxerunt. Pindarus ſanè in odis ſuis omnes deos quando à Typhone fugabantur, non hominibus, ſed aliis animalibus ſimiles induxit. Paſiphaes amore captum Iouem tauri formam ſumpſiſſe aſſerunt: modo aquilam, modo olorem effectum fabulan-

bulantur: quibus sanè omnibus honorem præ se ferebant prisci illi, quem animalibus exhibendum censebant. atque adhuc magis etiam quando Iouem à capra educatum fuisse aiunt. Erat autem apud Cretenses Rhadamanthi lex, qua omnia animalia adigi in iusiurandum iubebatur. Neque Socrates dum per canem & anserem iurabat, per lusum id faciebat: sed serio ex iusti filii Iouis instituto deierabat: neque per iocum conseruos suos olores appellabat. Quin etiam fabulæ cum deorum indignatione ex hominibus in animalia mutationem fuisse factam: atque iccirco deos misericordia postea ea fuisse prosequutos, atque amasse perhibent: eadem quà nos anima esse prædita cætera animalia uidentur significare. Eiusmodi enim ea sunt, quæ de delphinis, alcyonibus, lusciniis, hirũdinibus traduntur. Vnusquisq; item ex ueteribus, qui ex animalibus educationem feliciter consequuti fuerant, non ita de parentibus, sicut de enutritoribus suis gloriabatur: de lupa alius, alius de ceruo alius de capra, alius de ape: Semiramis de columbis, Cyrus de cane, de olore Thrax, qui a nutriente etiam nomen obtinuit. Vnde diis quoq; cognomenta obtigerunt: Baccho quidem hinnuleus: Apollini lupinus, & delphinius: Neptuno equestris: equestris item Mineruæ. Hecate uero si taurus, canis, leæna fuerit uocata, magis exaudit.

Quod si quia qui animalia sacrificant ; ea comedunt, icciro ut se crimine absoluant, irrationalia ea esse dicunt: eodem modo qui parentes suos epulátur Scythæ, dicere expertes eos esse rationis possent. Atque his quidem, atque aliis quæ deinceps ueterum opiniones percurrentes commemorabimus, cæteráq; animalia rationalia esse demonstrátur : ita ut licet imperfecta in plerisque ratio sit, nõ prorsus tamen deesse censeatur. Cum itaque iús erga rationalia, ut inquiunt aduersarii, esse debeat, cur non etiam erga hæc nobis erit ? Non enim etiam ad plantas protendenda iustitia est ; in quibus magna admodum ad rationem inconuenientia conspicitur. Tam et si in illis moderatius nos gerimus : fructibus enim tantummodo ipsarum uti ; non una cum fructibus truncos etiam ipsos succidere consueuimus. Frumenti uero & leguminum fruges ubi iam efflorescentes in terram deciderint, & emortua fuerint, colligere solemus. At ex mortuorum animalium carnibus, exceptis piscibus, nisi ui occisa fuerint, in cibum sumeret nemo. Qua in re multa iniustitia proculdubio est. Adde uero quod ut Plutarchus quoq; inquit, non propterea quia natura nostra quibusdam indiget, eisq; utitur, continuo in omnia proferenda iniúria est. Conceditur enim ut pro necessitate quadá tenus detrimentum inferatur : siquidem à plantis

etiam si uiuæ permaneant, quicpiam sumere detrimentum est. Ex insolentia autem & ut uoluptatibus indulgeamus, cætera quoque detrahere, ac perdere, summæ feritatis esse atque iniustitiæ uidetur: quippe cum eorum abstinentia neque ad uiuendum, neque ad bene uiuendum impedimento ulli nobis sit. Nam si quemadmodũ aere & aqua & plantis & fructibus, sine quibus uitam traducere non licet, ita animalium cæde quoq;, & carnium esu indigeremus, necessario iniustitiæ huic innexa natura nostra esset. Si uero multi & deorum sacerdotes, & reges barbarorum pie & caste uitam ducentes: quin etiam innumerabilia animalium genera huiuscemodi cibo nunquam prorsus gustato, & uiuunt, & naturali fine ac bono non frustrantur: quo modo non est absurdus, qui si cum aliquibus bellum gerere cogamur, neque cum illis quibuscum licet, uiuere nos pacifice iubeat: sed uel erga nullos iustitia utendo uiuendum, uel erga omnes utendo non uiuendum censeat? Quemadmodum igitur apud homines qui salutis suæ, & liberorum, & patriæ causa uel pecunias aliorum rapit, uel regionem & ciuitatem opprimit, is necessitatẽ habet, quæ aliquo modo iniustitiam excuset: qui uero diuitiarum & uoluptatum insolentia, nõ necessitate aliqua inductus idem facit, iniustus, incontinens, atque improbus existimatur: ita plantarum

rum detrimenta,ignisq; & aquæ consumptionem, ouium tonsuras,ac lac,boumq; subiugationem hominibus concedit deus: cumq; his ad salutem & conseruationem sui utantur,ignoscit. At animalia iugulare, & concisa cædis & sanguinis plenos nõ alimenti & repletionis, sed uoluptatis & gulæ causa edere, illud uero supra modum iniustum ac scelestum est. Nonne enim est satis quod cum laboribus nullis opprimi deberent, ad defatigationem usque ipsis utamur? equis & asinis ad gestandum: taurorumq; sobolem,ut Æschylus inquit,

In seruitutem adductam exceptricem effici.
Nostri laboris,ut etiam subeat iuga.

Nam qui non uesci boue nos censet, neque ex ullo spiritu aut uita corrupta mensarum condimenta conquirere,qua re uel necessaria ad salutem, uel honesta ad uirtutem uitam hominum priuat? Plantas enim comparare animalibus uelle ualde absurdũ, ac uiolentum uidetur. quippe cum animalia sentiant, doleant,timeant,& offendantur,atque iccirco iniuria affici possint: plantis nullus sensus adsit,atque ideo neque alienum, neque malum, neq; læsio aliqua aut iniuria accidat. Cõciliationis enim omnis,& alienationis principium sensus est. Conciliationẽ uero principium iustitiæ Zeno statuit. At uero quo pacto absurdum non est, cum multos homines sensu tantum uiuere,mentem autem

& rationem nullam propemodum habere uideamus:multos item qui sæuitia,ira, & insolentia feras uel maxime horribiles superent,paricidas, nefarrios,tyrannos:erga eos asserere nobis esse ius: erga bouem aut aratorem,& domesticum canem, & pecudes quæ nos & lacte nutriunt,& tonsura uestiunt, nullum esse ius dicere? Sed illud scilicet Chrysippi uerisimile apud istos est: Nos nostri & deorum causa: animalia cætera nostri causa facta à diis fuisse: atque equos quidem simul nobiscum bellum gerere, canes simul uenari:pardos,ursos, & leones uirilem exercitationem nobis exhibere: suem uero,hic enim scilicet gratia iucundissima cōsistit,non ob aliud quicpiam factum fuisse,sed carni eius, ut nobis opsonium procuraret, deum animam loco salis miscuisse. qui quidem etiam ut iusculi,& cupediarū copiam haberemus,uaria ostrearum genera, & purpuras,& urticas,& diuersas uolucrum species produxit, neq; aliunde nobis præparauit,sed tanquam magnam sui partem hic nos ad suauitates conuertit,condimentorumq; illecebris nutrices exuperans, totum circum terram locum uoluptatibus, & iucunditatibus repleuit.Itane hæc habere in se probabilitatis quicpiā, deoq; conuenire ullo modo uidentur? Sed uiderit quis, quid ad illam Carneadis rationem respondeat.unumquodque, inquit, quod natura effectū

est,

est,quando finem illud consequitur,ad quem natu ra est factum, utilitatem consequitur. utilitas autem communiori significato pro bono usu quem isti appellant, accipienda est. sus autem ad id factus est, ut iuguletur, ac comedatur. sus igitur cum editur,finem consequitur suum, & utilitate afficitur. At si ad hominum usum animalia deus produxit:cui usui nobis futuræ sunt muscæ, culices,uespertiliones, scarabei, scorpii, uiperæ? quorum alia & uisu turpia,& tactu immunda,& odore intolerabilia,& uoce iniucunda & horrenda: alia perniciosa omnino occurrentibus sunt.quid? nonne in balænis, & pistricibus, & immanibus cetis, quæ innumera,ut inquit Homerus, enutrit perflabilis Amphitrite, edocuit nos summus opifex, quo pacto utilia naturæ essent? At si non omnia nobis, ad usumq; nostrum procreata esse dixerint,præter quàm quòd confusa admodum,atq; obscura distinctio est, ne euitare quidem poterimus, quo minus iniuste nos geramus, si illis uim inferamus, noxieq; utamur,quæ non propter nos, sed sicut nos secundum naturam fuerunt procreata. Omitto præterea quòd si usu ea quæ ad nos spectent,nostriq; causa extiterint, metiri uoluerimus, nihil erit cur nos quoque perniciosissimorum animalium causa, cuiusmodi sunt crocodili, balænæ, & dracones, factos fuisse concedere non

debeamus.

debeamus. nulla enim ab illis prorsus utilitas nobis euenit. ipsa uero homines qui forte occurrerint, rapiunt, ac lacerant, eisq; in cibum uti consueuerunt. Nihilq; in eo sæuius quàm nos se gerunt, nisi quòd ipsa inopia & fames ad iniustitiam hanc inducit: nos contumelia & luxũ per lusum sæpe in theatris, & uenationibus pleraq; animalia interficimus. Ex qua quidem consuetudine qui primum id ausi sunt, sicut promptitudinem ad cædem, & feritatem, & inclementiam in nobis corroborarunt: ita mansuetudinis plurimum abstulerunt. Pythagorei autem mansuetudinem erga bestias humanitatis, & misericordiæ exercitationem nobis futuram esse existimarunt. Quare quo pacto hi ad iustitiam non magis incitant, quàm qui ex his consuetam iustitiam corrumpi asserunt? cõsuetudo enim ad hominem in affectibus qui paulatim inolescunt, ulterius prouehendum mirabilẽ uim habet. Sane inquiunt: sed sicut mortali immortale, & corruptibili incorruptibile, & corporeo incorporeum oppositum est: ita rationali quod in rerum natura existere conspicitur, irrationale esse, quod opponatur, neque solum hanc oppositorum iugationem relinqui mancam debere affirmant. Quasi id nos negemus, aut multa irrationalia in rebus inueniri non ostendamus. Multa enim & copiosa irrationalis uis quædam in omnibus sese

offert,quæ anima carent: ut nihil aliud aliunde re=
quirendum sit,quod rationali opponatur. Quip=
pe cum omne inanimatum cum rationis & men=
tis expers continuo sit, ei opponatur,quod ratio=
ne & mente præditum est. Etiam si quispiam sit,
qui non communiter naturã, sed animatã naturã
esse censeat, quam aliud quod imaginatione præ=
ditũ sit,habeat, aliud quod ea careat,& aliud sensi=
bile, aliud insensibile:ut habituum horum & pri=
uationum oppositiones circa idem genus quasi
æquilibres natura obtineat:id quod profecto ab=
surdum est. Absurdus siquidem esset,si quis ex ani
matis aliud esse uellet sensibile, aliud insensibile,
aliud quod imaginatione utatur, aliud quod non
utatur. Omne.n.animatum sensiuum continuo, &
imaginatiuum natura est. Sic igitur neque quic=
piam iure id requiret, ut ex animatis aliud ratio=
nale,aut irrationale esse detur, præsertim cum ad=
uersus homines eos disputet, qui nihil sensus esse
particeps opinantur, quod non etiam intelligen=
tiæ sit: neque esse animal quicpiam, cui non opi=
nio etiam quædam,& ratiocinatio adsit. eo quod
omnis sensus,omnisq; incitatio secundũ naturam
existat. Natura siquidem,quã alicuius causa,& ad
aliquid omnia facere recte aiunt,non ut simplici
tantum modo pateretur,ac sentiret, sensu præditũ
animal fecit: sed cum multa conuenientia ipsi &
com=

commoda ſint, multa aliena, ut ne breui quidem tempore eſſe poſſet, niſi hæc cauere, illa ſibi conciliare didiciſſet, utrorumq; cognitionē ſimili modo ſenſu exhibito ſingulis indidit. Quæ uero ex ſenſu conſequuntur, utilium ſectationes & apprehenſiones, nec non pernicioſorum & moleſtorum repulſiones ac fugæ adeſſe nullo modo poſſunt, niſi iis quæ ita natura conſtituta ſunt, ut ratiocinari, iudicare, meminiſſe, atque aduertere animum queant. Quibus enim expectationem, memoriam, attentionem, præparationem; ſpem, metum, cupiditatem, indignationem omnino eripueris, iis neque oculorum, neque aurium, neque aliorum ſenſuum qui adſunt, ullum uſum reliqueris. Quippe ſenſu omni, & imaginatione, ſi nihil habeāt, quod ipſis utatur, carere melius erat, q̄ laborare, & dolere, nullamq; moleſtias has depellendi facultatem habere. Quin Stratonis phyſici ratio eſt, qua neque ſentire prorſus quempiam ſine intelligentia poſſe demonſtrat. Nam & literæ oculis occurſantes, & auribus incidentes orationes ſæpenumero latere nos, & fugere conſueuerunt, cum alio animum intentum habemus. deinde rurſus ubi rediit, & recurrit, unumquodque ex ante dictis recolendo perſequitur. Vnde etiam dictum eſt, mēs uidet, mens audit, cætera ſurda & cæca ſunt: eo ꝙ affectio quæ circa oculos, & aures exiſtit, niſi adſit

quod intelligat, sensum non efficiat. Hinc etiam
fertur Cleomenes rex, cum approbaretur in conui
uio cantor, interrogatus nunquid ipsi quoque
is placeret, iussisse alios id iudicare: se in Pelopon
neso mentem habere. Omnis igitur quibus est sen
sus, intelligentia quoque adsit, necesse est. Sed esto,
demus, sensum ad opus proprium mente non in-
digere: quando tamen is circa commodum, & alie
num operans differentiam eorum statuit, faculta-
tem memorandi iam habet, quæ & molestiam in-
ferentia timet, & utilia tum absentia desiderat,
tum ut adsint, procurat: præparatq; tum sectandi
& uenandi modum: tum contra aufugiendi, & eui
tandi ea quæ inuaserint. Quin ipsi quoque in in
troductionibus suis hæc ubique ad fastidium usq;
inculcant: dum diffiniunt uel propositum obsigna
tionem perfectionis: uel aggressionem incitatio-
nem ante incitationem: uel præparationem actio-
nem ante actionem: uel memoriam rei præteritæ
comprehensionem, quam præsentem sensus perce
perat. Quorum quidem nihil est, quod rationale
non sit: & omnia animalibus omnibus adsunt. Id
quod uidelicet circa intellectiones faciunt, quas re
positas ἐννοίας, id est notiones, dum mouentur, &
agitantur, διανοήσεις, hoc est cogitationes uocant.
Vniuersos autem affectus cum communiter natu
ras prauas & opiniones esse fateantur; mirabile

est,quo pacto in bestiis multas operationes & motiones irarum, timorum,inuidiarum,& zelotypiarum non aduertant. Ipsi quidem canes peccantes & equos castigant, non frustra profecto, sed ut moderatiores efficiant, ægritudinem ex dolore ipsis inferentes,quam μετάνοιαν, hoc est pœnitentiam nominamus. Cũ item uoluptati quæ auribus exhibetur,nomen sit delinitio, quæ oculis, præstigiæ, utrisque uti ad bestias consueuerunt. Cerui enim & equi fistulis & tibiis deliniuntur. Paguros item ex latibulis euocant fistulis modulãtes. Thrissam etiam piscem cantu è cauis prodire asserunt. Atqui de bestiis stulte admodum affirmant, neq; lætari,neq; irasci,neq; timere, neq; præparare,neque meminisse, sed quasi meminisse apem, hirundinẽ quasi præparare,leonem quasi irasci, quasi timere ceruum inquiunt: nescio quid responsuri illis sint, qui neque uidere, neque audire, sed quasi uidere, & quasi audire, neque uocem emittere, sed quasi uocem emittere, neque omnino uiuere, sed quasi uiuere animalia dixerit. quippe cum hæc non magis quàm illa præter omnem euidentiam dici, æquus auditor facile aduertat. Atenim si humanis moribus, uitæ actionibus, uictui, cæterorum animalium uitam comparans: multã in ipsis prauitatem conspicerem, nullamq; ad uirtutem ad quam ratio præcipue spectat,manifestam propen

sionem, nullum profectum, nullam appetitionẽ: dubitarem sanè, cur natura principium iis dedisset, quæ peruenire ad finem ullum nõ possent. Sed istis ipsis tamen absurdum esse id minime uidetur: quippe qui cum amorem erga sobolem principium esse in nobis societatis, & iustitiæ statuant, cum'q; in cæteris animalibus uehementem esse uideant, iustitiam tamen & societatem cum illis esse nullam censent. Muli præterea licet ex membris genitalibus nullum ipsis desit, penẽ enim, & uterũ habent, his'q; cum uoluptate utuntur, finem tamen generationis non assequuntur. Ad hæc nonne deridendum uidetur, si cum Socrates, Platones, Zenones nihilo melius quàm quodlibet mancipium se gerere, sed simili modo imprudẽtes, intẽperantes, & iniustos dicant: deinde in bestiis quia non exacte & exquisitæ ad uirtutem sese habent, priuationi, non prauitati & imbecillitati rationis id ascribant? præsertim cum uitia rationalia esse fateantur: quibus plena animalia cætera esse perspicuum est. nam & ignauiam, & intemperantiã, & iniustitiam, & maleuolentiam atq; alia huiusmodi in multis eorum uidemus. Censere autem quod natura idoneum ad rectitudinem rationis suscipiendam non est, neq; ad rationem suscipiendã esse, primum nihil aliud est, quàm existimare neq; simiam turpitudinis, neq; testudinẽ tarditatis capa
cem

cem natura esse, quia neq; pulchritudinem, neq; celeritatem possunt admittere: deinde hominum est rei differentiam non aduertentium. Ratio enim innascitur: recta ratio & perfecta studio & disciplina comparatur. Iccirco rationis animata omnia participia sunt: rectitudinis uero eius, & sapientiæ ne hominem quidem præditũ esse, etiam si innumerabiles sint, possunt asserere. Quemadmodum enim uisus ad uisum, & uolatus ad uolatum differentia est: non enim simili modo accipitres uident, & cicadæ: neq; eodem modo aquilæ, & perdices uolant: sic neq; omnis rationalis est habilitas, ac promptitudo ad suscipiendum extremũ. Indicia sane societatis, fortitudinis, & calliditatis quoq; in comparandis, & dispensandis rebus, nõ secus ac contrariorum iniustitiæ, ignauiæ, ac stoliditatis adeo multa in ipsis spectantur: ut exortæ quæstiones inter nonnullos fuerint, terrestria ne an marina animalia ad uirtutem præstarent. Id quod esse perspicuum potest, si inter se equi terrestres fluuiatilibus comparentur: hi enim alunt patres, illi necant, ut cum matre possint concumbere. Perdices quoque contra quàm columba, faciunt. oua enim occultant, ac conterunt mares, propterea quod fœmina dum incubat, maris congressum non admittit. Columbi uero in incubandi cura per uices succedere consueuerunt: & priores pullis cibum

infe-

inferunt. quin et si fœmina diutius aberrarit, rostro ferientes eam ad oua & pullos curandos intrudunt. Antipater uero cum in asinis & ouibus munditiæ negligentiam damnarit, non aduertit, se idem in lyncibus & hirundinibus non attendisse. quarum illæ sordes à sese procul eiiciunt occultantes prorsus atque obruentes: hirundines autem foras conuersos excrementa emittere pullos suos docent. Arborem sane arbore stolidiorem atque indociliorem, sicut cane ouem, aut olus olere ignauius, quemadmodum ceruum leone, nequaquam dicimus. nempe quia sicut neq; in iis quæ motu omni carent, alterum altero tardius, neq; in iis quæ uocem non habent, alterum altero exiliori uoce esse præditum potest: ita neque ignauius, neque segnius, neque incontinentius quicpiam appellatur, ubi non omnibus facultas quoque inest intelligendi: quæ cum aliis aliter uel magis uel minus adsit, huiuscemodi differentias quæ in animalibus conspiciuntur, effecit. Qua in re asferre nobis admirationem nullam illud debet, q homo tanto interuallo & docilitate, & solertia, & cæteris quæ ad iustitiam & communem societatem spectant, cæteris animalibus antecellat. Nam ex illis quoq; multa tum magnitudine corporis, & pernicitate, tum uisus perspicacia, & auditus acumine longe omnes homines superant. nec

propte-

propterea tamen homo ſurdus,aut cæcus, aut inualidus cenſetur.ſed & nos quoq; currimus, licet tardius quàm cerui: nec non uidemus, quamuis non ita acute ut accipitres:robore etiam & magnitudine non prorſus priuati à natura ſumus:quamuis ſi ad elephantem & camelum comparemur,nihil in his eſſe uideamur. Simili modo igitur neq; beſtias quia hebetius intelligunt,peiusq; cogitant quàm nos,nihil omnino cogitare,& intelligere dicendum eſt, rationeq; nulla eſſe præditas: ſed eam quidem etiam ipſas,imbecillam tamen & turbidã, perinde atque oculum hebetem ac conturbatum habere. Innumerabilia ſunt,quæ producere in cõprobationem ingenii animalium poſſem, niſi multa à multis antea & collecta & memoriæ tradita in hanc ſententiam fuiſſent. Illud præterea dignũ conſideratione eſt. Eiuſdem eſſe uel partis uel facultatis uidetur, quæ aliquid ſecundum naturam ſuſcipit,ut in id quod præter naturam eſt, uel uitiata uel ægrotans incidere etiam poſſit. ſicut oculi,ut in cæcitatem,cruris,ut in claudicationem,linguæ,ut in balbutiem incurrat. nihil quippe aliud id poteſt. non enim cæcitas eſt eius quod uidere etiam non poſſit:neq; claudicatio eius quod non ad ingrediendum aptum etiam ſit: neque balbum, aut bleſum,aut mutum eſt quicpiam, quod linguam etiam non habeat. Simili modo igitur neq;

delirantem, neque amentem, neque insanientem dixeris quemquam, cui non etiam intelligere, & cogitare, & ratiocinari secundum naturam sit. Non enim fieri potest, ut in affectione aliqua constituatur quispiam, nisi facultate præditus sit, cuius affectio illa uel priuatio, uel deprauatio, uel aliquod aliud uitium sit. Sed nunquid in rabientes canes unquam incidisti? quin etiam in equos? nonnulli uero etiam boues & uulpes furere aiũt. Sed satis est, quod de canibus constat, nullã enim controuersiam habet: rationemq; & mentem habere non ignobilem animal testatur: cuius sanè turbatæ ea quæ dicitur rabies & insania affectio est: qppe cum neque uisum ipsis, neque auditum immutari uideamus. Quemadmodum igitur qui homini furenti, & deliranti non exturbatam, corruptamq; esse intelligendi, & ratiocinandi, & recordandi facultatem asserit, absurdus est: quippe cum in consuetudine sit, ut delirantes nõ esse apud se, sed exturbatos mente ac consilio esse dicamus: ita qui rabientes canes aliud quid passos existimat, & non ea parte quæ ad intelligendum, & ratiocinandum, & recordandum idonea natura est, exturbatos ac dimotos carissimas personas ignorare, & solita diuersoria refugere: is uidetur uel quod euidẽter apparet, non aduertere: uel si aduertit, contendere aduersus ueritatem uelle. Atque ea quidem

quæ diuersis in libris Plutarchus aduersus Stoicos & Peripateticos conscripsit, huiusmodi sunt. Theophrastus uero hac ratione etiã utitur. Eos, inquit, qui ex iisdem geniti sunt, patre uidelicet & matre, cognatos natura inter se se esse dicimus. Igitur etiam eos dicemus, qui ex iisdem auis sunt procreati: eiusdem quoque urbis ciues, eo quòd & terræ eiusdem, & mutuæ inter se societatis participes sunt. non enim hos, quòd ex iisdem nati sint inter se habere cognationem existimamus: nisi scilicet aliqui ex primis progenitoribus iidẽ ipsis generis auctores, uel ab iisdem extiterint. Ita igitur profectò, & Græcum Græco, & barbarum barbaro, & omnes item homines inter se esse cognatos asseueramus, ex duabus altera de causa: uel quia ex iisdem progenitoribus sint, uel quia alimenti, morum, ac totius uitæ institutionis societatem habeant. Atque hoc modo omnes homines esse cognatos statuimus. At omnibus animalibus corporum principia natura eadem sunt. nec de elementis primis intelligendum hoc censeo: nã plantæ etiam ex iisdem constant: sed de semine, de carnibus, ac de eo humorum genere, quod insitum in animalibus est. multo etiam magis eo quòd animæ in ipsis sunt inter se non differentes, cupiditatibus uidelicet, & iris, nec non considerationibus, ac maxime omnium sensibus. Quemadmodum autem

corpora,ita etiam animas alia animalia magis,alia minus exquisitas,atque absolutas habent. omnibus tamen principia natura eadem sunt. id quod affectionum similitudo atque affinitas declarat. Quod si uerum est,quod dicitur, morum generationem esse eiusmodi, sapiunt autem & intelligunt omnia animalium genera,sed differunt tamē educationibus, & uariis primorum temperaturis: affine prorsus ac cognatum cæterorum animaliū genus nobis est existimandum. quippe cum alimenta omnia eadem omnibus ipsis sint, & spiritum, ut inquit Euripides, nec non fluorem habeant rubrum.

Animalia omnia,ut parentes omnibus
Sic esse communes polum & terram indicent.

Quare cum cognata ita sint, si eandem etiam ut Pythagoras putabat, animam sortita esse uideantur, merito unusquisque iudicari impius posset, qui a cognatorum iniuria non abstineat. Neque uero quia quædam agrestia ex ipsis sunt,cognationis propterea ius abruptum esse censendum est. Nihilo enim minus, sed etiam magis ex hominibus aliqui in alios homines malefici reperiuntur, qui quodam quasi spiritu propriæ naturæ, atque prauitatis ad læsionem occurrentibus inferendam impellantur. quos sane licet e medio tollendos, atque interficiendos ducamus, non ideo tamen so

cietatem erga mansuetos nobis omnem abrumpi mus. Sic igitur si ex animalibus immania ac fera aliqua sunt, illa quia eiusmodi sunt, non secus atq; homines qui tales fuerint, occidi debent: à iure ta men erga cætera mansuetiora animalia desistendũ non est: neutra uero sunt comedenda: siquidem neque homines iniustos ulla lex edendos permit tit. At nos longe iniuste nos gerimus, cum & mã= sueta perinde atque agrestia & iniusta occidamus, & eadem in cibum assumamus. dupliciter enim peccamus, primum, quòd cum sint mansueta, in= terficimus: deinde, quòd eadem interfecta epula= mur: cædesq; eorum nõ aliò, quàm ad ingluuiem nostram spectat. Adiungenda etiam his illa sunt. Qui enim dicit, eum qui ad cætera animalia usque ius porrigit, ius ipsum perdere ac corrũpere, igno rat se non iustitiam seruare, sed uoluptatem auge= re, quæ iustitiæ est inimica atque hostis. Cum igi= tur finis sit uoluptas, iustitiam destrui perspicuum est. Nam ex abstinentia ius augeri, cui esse dubiũ potest? Qui enim ab omnibus animatis abstinet, etiam si ad societatem sibi nihil conferant, multo magis à læsione cognatis inferenda cauebit. neq; enim si amet genus, speciem prosequi odio pote= rit: sed quanto animalium genus latius patet, tan to magis etiam erga partem eius eodem modo ius seruabit. Qui nanque cognationem erga animal

ſibi facit,is aliquod animal quoque iniuria non afficiet.At qui omne ius in homine tantum ſibi circumſcribit, is utpote anguſtis admodum terminis concluſus abiicere a ſe cautionem ab iniuſtitia facile poteſt.Vnde etiam Socratico opſonio Pythagoreum eſt longe ſuauius.Ille enim cibi opſonium eſſe famem dicebat. Pythagoras uero ſi nulli inferretur iniuria, id eſſe opſonii ſuauisſimum iuſtitiæ condimentum opinabatur.dum enim cibum ſumere ab animatis euitamus, iniurias quoque quæ circa cibum contingunt, proculdubio euitamus.Neque enim exiſtimandum eſt deum effeciſſe, ut tueri ſalutem noſtram ſine aliorum contumelia & læſione nullo modo ualeamus. nam eo modo naturam nobis eam tribuiſſet,quæ principium iniuſtitiæ exiſteret. Adde quod iſti etiam iuſtitiæ proprietatem mihi uidentur ignorare, qui ex cognatione ſola erga homines eam ſtatuendam eſſe arbitrantur. Ita enim humanitas, & benignitas quædam erga homines eſſe diceretur. At iuſtitia eiuſmodi non eſt: ſed in abſtinentia a cuiuslibet læſione quod non lædat, conſiſtit.Atq; hoc etiam non illo modo iuſti notio habetur:ita ut iuſtitia cum in læſione nulli omnino inferenda conſtituta ſit, uſq; ad cætera quoq; animalia protendenda eſſe uideatur.Vnde etiam eſſentia eius in dominio rationis in irrationalem partem, & irrationalis obedientia

id eſſe

esse dicitur. dum enim hæc imperat, illa obedit, innocentem esse erga omnia hominem necesse est. Cum enim pacatis perturbationibus & cupiditatibus, sedataq; ira suum imperium ratio obtinet, statim similitudo ad præstantiorem naturam in nobis elucet. Præstantissima autem in uniuerso natura innocentissima erga omnia est. atque ipsa quidem ob potentiam etiam conseruatrix omnium, & benefica omnibus est, nulliusq; indiga. Sed nos ob iustitiam quidē erga omnia innocentes, at ob mortalitatem indigi necessariorum sumus. Necessariorum autem assumptio læsionem nullam infert, neque plantis, cum ex ipsis ea quæ abiiciunt, accipimus: neque fructibus, cum iam emortuis ipsis utimur: neque ouibus, cum ex tonsura ipsis magis prosumus, & adhibita ipsis cura lactis earum uicissim participes efficimur. Iccirco esse iustus uidetur quasi sui diminutor in iis quæ ad corpus spectant: non iniuria tamen se ipsum afficit. corporis enim castigatione, & continentia internum bonum sibi auget: quæ similitudo ad deum est. Neque igitur si uoluptas sit finis, seruatur ea quæ uere iustitia est: neque si prima secundum naturā felicitatem cōpleant, uel omnia quæ exposita sunt. In multis enim irrationalis naturæ motiones, & indigentiæ iniustitiæ in causa sunt: quippe cum esu animalium indiguerint, ut naturam, quemadmodum

dum inquiunt, sine ulla molestia conseruarent, si neq; ulla inopia eorum quæ appetit. Sed si finis sit, deo similes effici quoad eius fieri potest, innocẽtia erga omnes seruatur. Quo igitur modo qui ab affectibus ducitur, erga solos liberos, & uxorem innocentiá exercet, alios uero omnes contemnit ac lædit: utpote cum irrationali parte in ipso dominante erga mortalia excitatus ea admiretur, ac stupeat: qui uero regitur à ratione, erga ciues quoque, nec non hospites, quin etiam omnes homines innocenter se gerit: cum irrationalem facultatem subditam habeat, ac propterea præ illis rationalior, ac diuinior sit: ita qui non in hominibus tantum innocentiæ terminos præfinit, sed ad cætera usque animalia dilatat, is similior deo est: & si usque ad plantas etiam prorogare eos posset, imaginem magis ac similitudinem seruaret. Quod quia nequit, inde iam naturæ nostræ defectus conspicitur: inde miseria quæ à ueteribus deploratur, quòd talibus aduersis simus ac discordimus orti litibus, ut diuinitatẽ, & incorruptibilitatem, & innocentiam in omnibus seruare nõ ualeamus. Nõ enim in omnibus sine ulla indigẽtia fuimus. cuius causa generatio extitit: quòdque cum copia iam effluxerit, constituti in inopia fuerimus. inopia autem ex alienis salutem & ornatum ex quo nos ut essemus, accepimus, sibi acquirit. Qui igitur pluribus

ribus externis indiget, is magis inopiæ agglutinatus est. quantoq; pluribus indiget quispiam, tanto est remotior à deo, inopiæq; magis addictus. Qui enim similis deo est, continuo ex similitudine ueras diuitias habet. nemo autem qui diues sit, nulliusq; indigus, iniuriam cuiquam infert. quoad enim iniuriam facit, etiam si omnibus affluat pecuniis, omnia terræ iugera possideat, cum inopiæ sit addictus, inops proculdubio est: ac propterea etiam iniustus, & impius, & à deo alienus, & omni denique uitio obnoxius: cuius quidem uitii naturam delapsio animæ in materiam ex priuatione boni introduxit. Omnia igitur nugæ sunt, quousq; aliquis à principio aberrauerit: indigus itē unusquisq; omniū est, quandiu ad satietatem non spectat: mortalitatiq; naturæ suæ indulget, quandiu seipsum re uera non nouit. Apta autem admodum iniustitia est ad persuasionem sibi adhibendam, iudicandosq; eos qui sub ipsa cōtinentur: propterea quod cū alumnis ac familiaribus suis cum uoluptate uersatur. Quemadmodū uero in uitarum electionibus rectius iudicare cōsueuit, qui utriusq; est peritus, quàm qui alterā tātummodo fuerit expertus: ita quoque in electionibus & euitationibus eorum quæ debent, illius certius iudicium est qui ex superiore inferius discernit, quàm qui ex inferioribus ea quæ anteposi-

ta sunt. Quapropter qui ex mente & intellectu uitam instituit, rectius & exquisitius præfinire ea potest, quæ expetenda, aut fugienda sint, quàm qui ex irrationali facultate degere consueuit. Ille siquidem etiam per irrationalem uitam pertransiit, utpote qui à principio innexus ipsi fuerit: hic autẽ eorum imperitus cum sit, quæ ex mente proficiscuntur, sui similibus puer inter pueros nugans facile omnia persuadet. At si omnes, inquiunt, rationibus his assentiatur, quid nobis inde euenturum est? Illud proculdubio, ut felices simus futuri: quippe cum & iniustitia procul ab hominibus exterminanda, & iustitia apud nos quoque, quẽadmodum in cœlo uersatura sit. Nunc uero perinde res se habet, ac si Danaides quærerent quamnam uitam essent traducturæ, si ab illo hauriendæ aquæ perforatis doliis ministerio fuissent liberatæ. Quid enim euenturum sit nobis, quærunt ac dubitant, si in necessariis & pro necessariis constitutæ uitæ acquiescendo indulgere perturbationibus & cupiditatibus desisteremus, quarum omnis fructus ex inopia honestorum difluit, atque interit. Quid ergo acturi simus, interrogas? auream illam ætatem imitabimur: eos imitabimur qui in libertatem asserti sunt. Cum illis enim pudor & nemesis & iustitia uersabatur, quia terræ fructibus erant contenti. Fructũ enim ipsis spõte ferebat

 Terra

Terra ferax multum. At qui libertate donati sunt, quæ dominis suis ministrando antea comparabant, ea sibi deinceps acquirunt. Non alio modo etiam tu, si seruitute corporis liberatus sis, & ministerio eo quod affectibus exhibes, sicut illud uarie externis alebas, ita uarie teipsum internis enutries: qua in re propria tibi iuste suppetent, ut aliena tibi auferenda uiolenter non amplius sint.

PORPHYRII DE ABSTINENTIA AB ESV ANIMALIVM

LIBER QVARTVS.

Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

ADVERSVS omnes ferè excusationes eorũ qui cum re uera incontinentiæ & uoluptatis causa carnium esum admittant, impudenter tamen ob indigentiam se id facere prætendunt, quam magis quàm opus sit, naturæ nostræ attribuunt, satis superioribus libris o Castrici ocursum à nobis uidetur. Restát tamen duæ adhuc particulares quæstiones: Ex quibus cũ utilitatis promissio maxime decipere eos consueuerit, quorum à uoluptate corruptum iudicium est: testificatio autem quòd neque sapiens quispiam, neque gens aliqua huiuscemodi uictum unquam repudiarit, in magnam admodum iniustitiam ob imperitiam ueræ historiæ audientes inducat: coarguenda etiam hæc in præsentia à nobis sunt. Quo

circa

circa & eius quæ ad utilitatem spectat,& aliarum quæstionum afferre solutiones iam conabimur. Exordiumq; à quarundam gentium abstinentia sumemus: inter quas Græci primo loco producentur, utpote qui omnium locupletissimi testes huiusce rei futuri sint. Ex iis igitur qui breuiter simul & accurate Græcas res collegerunt, Dicæarchus Peripateticus est; qui ueterem Græciæ uitam commemorans priscos illos, qui cum antiquitate ad deos proxime accederent, optimiq; natura essent, adeoq; sanctam uitam traducerent, ut aurea eorum ætas existimaretur præ hac nostra adulterina,& prauissima materia constante, nullum occidere animal consueuisse affirmat. Id quod etiam poetas ait attestari, dum aureum illud hominum genus appellant: Quæis, ut inquiunt, bona cuncta aderant,& fructum sponte ferebat.

Terra ferax multum. largis at frugibus ipsi
Sponte fruebantur multa cum pace quieti.

Quæ quidem explanans Dicæarchus eiusmodi uitam Saturni temporibus fuisse ait: Si modo eã re uera extitisse,& non frustra ita fuisse celebratã admittendum est: omissisq; iis quæ fabulosa admodum sunt, res est ad naturalem considerationẽ reducẽda. Sponte. n. merito omnia nascebant: quia uidelicet ipsi nihil operabantur, cũ nõdũ neq; agri colendi, neque ullam aliam artem inuenissent. Id

V iiii quod

quod in causa quoque erat, ut in ocio degerent, absque ulla cura, atque laboribus ullis: & si elegantissimorum medicorum sententiæ acquiescendum est, ut etiam nō ægrotarent. nullum enim eorum præceptum est, quod magis ad sanitatem faciat, quàm cum monent, dandã esse operam, ut q̃ paucissima fieri potest, excrementa gignantur: à quibus profectò illi expurgata corpora perpetuo conseruabant: quippe cum neque ualidius natura corporis sui, sed imbecillius, neque amplius q̃ moderatum esset ob promptitudinem, immo, minus plerunque ob penuriam, quàm esset satis, alimentum sumerent. Quin neque bella, neque seditiones inter ipsos erant: cum nullum præmium in medio propositum eiusmodi haberēt, pro quo adipiscendo suscipere ullam contentionem quispiam uellet. ita ut summa totius eorum uitæ nihil aliud esset, quàm ocium, & quies à necessariis sibi suppeditandis, sanitas, pax, amicitia. Vnde posteris qui propterea quòd maiora appetiuissent, in multa mala inciderant, desiderabilis huiuscemodi uita merito apparuit. Victus autem tenuitatem nullius apparatus indigam primorum illorum hominum satis declarat, quod dictum postea fuit, satis quercus. cum ille qui primus parcæ illius uitæ mutationem est aggressus, dixisse id uerisimile sit. Simul autem cum eo uerbo pastoricia uita in

troducta est: in qua & superuacuas iam possessiones sibi comparabant, & animalibus quoque inferre manus coeperunt. Cum enim alia ex ipsis innoxia, alia agrestia & malefica esse animaduertissent, ad curanda alia animum adiecerunt, alia uiolentia illata opprimere conati sunt. atq; ita simul cum ea uita bellum quoque introductum est. Atque hæc, inquit, non nos dicimus, sed illi qui pleraque diligenti inquisitione persequuti sunt. Cum enim iam satis multæ possessiones essent, alii collecti & alios mutuo inuitantes sibi eas acquirere, alii sibi eas conseruare contendebant. Cumq; ita paulatim processisset tempus, ac subinde quidnam uideretur esse utile, animaduerterent, in tertium uitæ genus agrorum colendorum tandē deuenerunt. Atque hæc sunt, quæ ueteribus Græcorum rebus commemorandis Dicæarchus refert, dum beatam antiquorum illorum uitam prædicat, cui quidem non minorem quàm alia, abstinētia quoque ab animatis perfectionem afferebat. Vnde bellum nullum in ea erat, cum omni iniustitia prorsus careret. Postea uero unà cum animalium iniustitia & bellum & plus habendi inter ipsos contentio subintrauit. Qua de causa non satis demirari pro merito possum eorum impudētiam, qui abstinentiam ab animalibus matrē iniustitiæ appellare non uerentur: cum & historia &

experientia unà cum cæde ipsorum & luxuriam & bellum & iniustitiam in uitam hominum inuasisse manifeste testentur. Id quod sanè postea cum animaduertisset Lycurgus Lacedæmonius, licet animalium esus iam inualuisset, rempublicam tamen suam ita fertur instituisse, ut alimento ab animalibus petito quàm minimum indigeret. Singulorum enim facultatis censum non in boum, aut ouium, aut caprarum, equorumue gregibus, aut pecuniarum affluentia, sed in agrorum possessione præscripserat, quæ hordei modios uiro septuaginta, mulieri duodecim prouentum ferret; liquidorum item fructuum copiam pro eadem portione. Satis enim tantum alimentum & ad bonam corporis habitudinem, & ad sanitatem conseruandá esse, nullaq; alia re extrinsecus indigere existimabat. Vnde etiam inquiunt, eum cum post diuturnam peregrinationem per regionem pertransiret, ac nuper factam esse messem deprehendisset, uideret'q; areas inter se se oppositas, atq; æquales, subrisisse, atque ad amicos qui aderant, dixisse, totam Laconiam sibi uideri esse multorum fratrum, qui nuper facultates inter se diuisissent. Quocirca cũ ita luxum omnem è Sparta eiecisset, ei usum omnem nũmi tam aurei quàm argentei abrogare postea licuit, ac constituere, ut moneta ferrea tantummodo uterentur: atque ea eiusmodi, quæ sicut ma

gno

gno pondere & mole constaret, ita uim exiguam obtineret: ut decem minarum permutatio magnã admodum in domo apothecam requireret. Qua ex causa multa iniuriarum genera è lacedæmone exterminata sunt. Quis enim amplius uel furari, uel largitiose accipere, uel rapere ea uoluisset, quæ neque occultare facile erat, neque possidere glorio sum: si uero comminuta fuissent, nullam utilitatem erant allatura? Simul cum his artes quoque inutiles eiectæ sunt, cũ opera earum distrahi non ualeret. Ferrea enim moneta ad alios Græcos tradu ci non poterat, neque in precio ullo erat. Quare neque emere quicpiam ex peregrinis & seplasiariis licebat: neque aduentitia ulla merces in portus appellebat. Quin neque sophista & uenditator uerborum, neque uates ullus circulator, neq; planus ac præstigiator in Laconiam ueniebat, neque quispiam alius qui uel aureorum uel argẽteorum ornatuum opifex esset: propterea quod num mus in ea deerat, qui alibi esse usui posset. Atque ita luxuria fomentis & alimentis omnibus destituta ipsa ex sese ipsa contabescebat: nullaq; amplior erat commoditas iis qui multa possedissent: cũ diuitiarum copia nullum aditum haberet, qua prorumperet, sed deffossa & ociosa omnino iaceret. Vnde suppellectilia ea quæ in promptu sunt, & necessarium usum exhibent, cuiusmodi sunt tricli

nia, sellæ, mensæ optime apud ipsos fabreficbant: & poculum item laconicum, qui cothon dicebat, ut inquit Critias, maxime in militiis erat accommodatum: quippe cum in eo aquæ quæ necessario interdum bibebantur, uisuiq; erant abhorrendæ, & colore facile ocultarentur, & prominentibus labris ita retunderentur, ut turbidiore parte retrocedente clarior ita ori bibentis occurreret. Atque horum quoque, ut inquit Plutarchus, legislator in causa fuit. Opifices siquidē inutilibus operibus omisſis in necessariis artificii excellentiam præ se ferebant. Cum uero magis adhuc luxum opprimere, & diuitiarum admirationem tollere cōstituisset, tertiam & pulcherrimam sodalitatum & cocpulationum institutionem introduxit, ut cōuenientes in publicum locum communibus & constitutis opsoniis & cibis simul cœnarent. non autem domi in lectis sumptuosis discumbentes ad mensas manibus structorum & coquorum apparatas sub tenebris uentri indulgerent: & perinde ac uoracia animalia se se ingurgitarent, & simul cū moribus corpora ipsa etiam corrumperent ad omnem cupiditatem & repletionem profusa: quippe cum repletio & lōgum somnum, & calida balnea, & multā quietem, & quasi ægrotantium curationē postea requirat. Id quod magnum quidem etiam ipsum erat, sed longe maius illud fuit, quod, ut in

quit

quit Theophrastus, diuitias & inglorias, & inopes cœnarum communitate & uictus parsimonia reddiderit. Vsus enim earum nullus erat, neque frui ipsis quispiam poterat: Quin neque aspectus, neque ostentatio ulla totius apparatus omnino esse poterat: cum ad eandem cœnã & diues & pauper accederet. ut id quod prouerbio uulgatum est, in sola Sparta conspiceretur cæcus Plutus, & iacens quasi pictura inanimata & immobilis. Non enim licebat domi prius cœnatos ac repletos ad coepulationes conuenire: nam cæteri eos qui secum nõ bibebant, ac comedebant, diligenter obseruantes quasi incontinentes utpote qui communem conuictum repudiarent, damnare consueuerant. Vnde etiam phiditia conuiuia ea nuncupabant: siue quia amicitiæ mutuæ ac benignitatis in causa essent, ut φιδίτια quasi φιλίτια δ pro λ sumpto dicta sint, quasi tu amicabilia possis interpretari: siue quia ad uilitatem & parsimoniam homines assuefaciebant φειδίτια quasi parsimonialia appellata. Ire autem simul consueuerant quindeni & paulo his pauciores, aut plures: ferebatq; unusquisq; in singulos menses farinæ modium, uini choas octo, casei libras quinque, ficuum heminas quinque: ac præter hæc parum admodum etiam pecuniæ ad opsonia comparanda. Merito igitur eorũ qui ita tenuiter & temperanter cœnarent, filii quoque ad

coepulationes uentitabant, perinde atq; ad scho-
lam temperantiæ deducti. Ibi enim & ciuiles ser-
mones audiebant,& liberalē lusum conspiciebant.
ipsiq; & iocari & sales dicere absque scurrilitate as
suescebant,& non indignari si huiuscemodi aliqua
dicendi acrimonia fuissent perstricti. Nam salse in
se dictum tolerare ualde Laconicum esse uideba-
tur. Licebat tamen si quis id non ferebat, recusa-
re,& alter à cauillo continuo desistebat. Ac Lace-
dæmoniorum quidem in uictu tenuitas, licet ad
populum fuisset instituta, huiusmodi erat. Vnde
etiam fortiores,& temperantiores,& recti magis
studiosi fuisse memoriæ proditi sunt,qui ex hac re
publica proficiscebantur,quàm qui ex aliis,quæ tā
animo quàm corpore erant corruptæ. Huic autē
abstinentiam,cæteris luxuriam uictus fuisse pecu
liarem perspicuum est. Iam uero si ad alias quoq;
nationes transiuerimus,apud quas iustitiæ,& man
suetudinis,pietatisq; erga deos habita cura præci-
pua est, liquido perspiciemus ad salutem ciuitatū
& utilitatem facere,ut si non ad omnes,ad aliquos
certe abstinentiæ præceptum pertineat: qui pro ci
uitate sacrificia,& reliquum cultum diis offerentes
populi peccata expiarent. Sicut enim in mysteriis
qui à Vesta dicitur puer,exquisite omnia quæ man
data fuerint, agendo pro omnibus qui initiantur,
numen placat: ita in gentibus & ciuitatibus idem

fa-

faciunt sacerdotes, dum pro omnibus sacrificant, & religione ac pietate numen ad salutem suorum tuendam implcrāt. Sacerdotibus igitur, siue Græcorum, siue barbarorum morem spectes, aliis ut ab omnium animalium, aliis ut à quorundam esu prorsus abstineant, mandatum est. Atque id apud alios aliter: ut si omnes qui ubique sunt, quasi unū consideret quispiam, ab omnibus abstinere omnes uideantur. Si igitur qui saluti multorū præsident, quibusq; pietas omnis ac religio erga deos commissa est, ab esu animalium abstinent: quis impudens adeo est, ut huiuscemodi abstinentiam quasi inutilem ciuitatibus damnare non uereatur? de sacerdotibus porrò Ægyptiis scribens Chæremon Stoicus, quos apud eos existimari etiam philosophos inquit, templa sibi ipsos refert elegisse, in quibus degerent, ac philosopharentur. Quippe cum & ad uniuersam contemplationis deorum appetitionem cognatum esse uideretur, ut ad simulacra eorum assiderent: & id tum securos ipsos redderet ex diuina ueneratione, cum omnes quasi sacra quædam animalia philosophos honore prosequerentur: tum quietem ipsis afferret: utpote cum in celebritatibus tantummmodo uersandum cum aliquibus ipsis esset: reliquo uero ferè tempore templorum aliis aditus non pateret: eo quod ad ea accedere aliter non possent, nisi caste se gessissent à

multisq; aliis abstinuissent. Hæc siquidem quasi communis quædam templorum Ægypti lex est. Omnibus autem hi opificiis, laboribusq; humanis repudiatis totam uitam suam deorum & contẽplationi & inspectioni dedicarunt: ex inspectione enim honorem, tutelam, & timorem: ex contemplatione scientiam: ex utrisque abditam quandam, & quæ priscam dignitatem deceret, morum exercitationem sibi comparabant. Nam semper in diuina cognitione & afflatione uersari ab omni auaritia & insolentia excludit, affectus reprimit, mentemq; ad intelligentiam excitat. Parsimoniam item, uictusq; tenuitatem, & continentiam & tolerantiam exercebant, iustitiamq; in omnibus, & æquitatem. Venerabiles autem ex eo etiam reddebãtur, quod parum admodum cum aliis uersarentur. nam in ipso castimoniæ & purificationis tempore ne cum maxime quidem sibi cognatis, & consortibus fere consuescebant: neque ab alio quopiam conspiciebantur, nisi cum necessarii simul abstinentium usus requirerent: quippe cum penetralia impuris & impurgatis hominibus inaccessa, & ad sacrificã dum sancta incolerent. Reliquo omni tempore liberius una cum similibus sui degebant: cum cæteris uero religionis expertibus commercium nullũ habebant. Semper autẽ prope deos, deorumq; statuas uel ferre aliquid, uel præsidere, uel constitue

re cum modeſtia & grauitate ſpectabantur. Idq; nō faſtus alicuius, ſed naturalis rationis indicium erat. Nam grauitatem uenerabilem etiam ex habitu ipſo præ ſe ferebant. Inceſſus enim erat moderatus: aſpectus ſedatus, ut quandocunque uoluiſſent, oculis minime nictarentur: riſus admodum rarus, atque eiuſmodi, ut non ultra uultus hilaritatem progrederetur: ſemper autem intra indumentum manus continebantur. Quin nota etiam erat ſingulis quæ ordinem ac ſtatum cuiusq;, plures enim erant, ſignificarent, quem in templis ſortitus unuſquiſque fuerat. Victu tenui ac ſimplici utebantur. Vini enim alii nihil omnino, alii paucisſimū adhibebant, ob neruorum læſionem quam inferret, capitisq; repletionem, quæ contemplationi eſſet impedimento: tum quia uenereorum appetitiones incitaret. Vnde etiam in cæteris aſſumendis caute admodum ſe gerebant. panem enim in caſtimoniis nunquam guſtabant. quando uero abſtinentiæ tempus non erat, cum hyſſopo cōtuſum edere conſueuerant. hyſſopum enim uim eius maiori ex parte obtundere aiebant. Oleo plerunque omnes, pleriq; autem ſemper abſtinebant. quod ſi quiſpiam cum oleribus eo aliquando utebatur, id admodum paucum adhibebat, quantum tantummodo ſenſum mitigare aliquantulum poſſet. Ea porro quæ extra Ægyptum naſcebantur eſculenta

ta & potulenta, attingere ipsis fas non erat: atque ita multum luxui locum exclusum habebant. ab omnibus uero qui in Ægypto erant pisces, absti- nebant, ab omnibus item quadrupedibus, quæ so lipeda, aut multifida, aut cornuta essent: à uolucri bus etiam, quæ carnibus uescerentur. Multi quo- que ab omnibus prorsus animalibus, & in purifi- cationibus omnes abstinebant: quippe cũ ne oua quidem tunc ulla sibi esse edenda censerent. Quin etiam aliorum quoque multa obseruatio apud ip- sos erat. Fœminas enim ex bobus in esu repudia- bant: mares quoque, si erant gemelli, si maculosi, si diuersi coloris, si uarii forma, si domiti iam es- sent utpote qui consecrati iam essent laboribus; similesq; iis quæ honorarentur: si quacunque alia effigie quicpiam repræsentarent: si altero oculo essent præditi: si ad humanam similitudi- nem tenderent. Innumerabiles aliæ obserua- tiones sunt, quæ ad eorum artem spectant, qui μοσχοσφραγισταὶ, id est uitularii, seu uitulorum obsigna tores appellantur: quæ ad librorum usque compo sitiones processerunt. Id quod curiosius etiam cir- ca uolucres faciunt. Nam turturem, ut uerbi causa hoc referam, sibi non esse comedendam putãt. ac- cipitrem enim aiunt sæpe ubi eam auem compre- henderit, incolumen dimittere, pro mercede concu bitus salute condonata. ne igitur in eiusmodi ali-

 quam

quam ex ipsis incidant, sibi toto earum genere interdicendum censuerunt. Ac communes quidẽ cultus nonnulli iidem erant: alii pro sacerdotum genere diuersi, & singulis diis accommodati. castimoniæ autem & purificationes in omnibus obseruabantur. tempus earum erat, cum aliquid in sacro cultu erant operaturi, numero dierum præfinitum, quandoque duorum & quadraginta; quandoque plurium, aut pauciorum: ita tamen ut nunquam à septenario deficeret. Tunc ab omnibus animatis abstinebant: ab omni olere & legumine: in primis uero à congressu uenereo mulieris: nam maris consuetudinem alio etiam omni tẽpore euitabãt. Ter in die lauabantur frigida, cum cubitu surrexerant, cum pransuri erant, cum cubitum ibant. Si forte autem contigisset, ut seminis fusione insomnis pollucrentur, confestim lauacro corpus expiabant. Frigido sanè lauacro in reliqua uita etiã, non ita tamen frequenter utebantur. Cubile ipsis ex palmarum uirgultis, quas appellant bais, intextum erat. Ligneus autem semicylindrus apte læuigatum capiti subiiciebatur. Sitim & famẽ, & parcum uictum toto uitæ tempore exercebant. Continentiæ siquidem eorum illud est, quod licet nullis neque deambulationibus, neque gestationibus uterentur, non solum absque morbis uitam traducerent, uerum etiam ita ualide, ut moderatæ etiam ad

labores uires suppeterent:quippe cum multa onera in sacrorum operationibus sustinerent,multaq; obirent ministeria, quæ maiora esse uiderentur, q̃ ut communibus uiribus conuenirent.Noctem in cœlestium obseruationem, & quandoq; in sanctificationem diuidebant.Diem in deorum cultum distribuebant:in quo ter uel quater mane & uesperi, solē, & cum medium cœlum percurreret & cū ad occasum ferretur, hymnis prosequebantur. Reliquo tempore contemplationibus arithmeticis & geometricis uacantes semper aliquid elaborabāt, atq; excogitabant. in uniuersumq; in experientia uersabantur. Eadem exercitatione uti in hyemalibus etiam noctibus consueuerant studio literarū inuigilantes, utpote qui neq; prouentus alicuius curam ullam haberent,& à seruitute molestæ dominæ luxuriæ liberi essent.Labor sanè indefatigabilis,& assiduus tolerantiam, cupiditatum omniū uacuitas continentiam hominum manifestat.quippe qui cum peregrinos luxus & mores euitarent, discedere ab Ægypto impium maxime esse censerent.Solis enim iis id licere uidebatur, qui negocia regia tractare essent coacti:quibus tamen etiā ipsis patriorum institutorum tanta erat cura, ut si uiolare ea uel paululum fuissent deprehensi, eiicerentur.Ac uera quidem philosophandi ratio apud prophetas,& sacrificos, & scribas, nec non etiam

horolo-

horologos seruabatur. Cætera uero sacerdotum & æditurorum, & ministrorum multitudo pure etiam ipsa & abstinenter uiuit, non ita exacta tamen diligentia, ut illi. Atq; hæc sunt, quæ de Ægyptiis à uiro ueritatis studioso & accurato, qui inter Stoicos non inaniter sed solide admodum philosophatus est, prodita memoriæ fuerunt. Ab hac igitur exercitatione, & cum deo coniunctione profecti nouerunt, non per solum hominem diuinitatem transiuisse, neq; animam in solo homine in terra tabernaculum obtinuisse: sed eãdem propemodum per omnia animalia pertransire. Vnde etiam ad deorũ fabricam omne animal unà cum homine assumpserunt: in qua & pecudum & hominis, & auium item & hominis corpora commiscuere. Singulæ enim apud ipsos deorum statuæ uel usque ad collum humanam speciem præferunt, faciem uero uel auis uel leonis uel alicuius alterius animalis impositam habent: uel è contrario capiti humano subiectum alterius animalis corpus præmonstrant. Ex quibus uidelicet significant hæc ex deorum sententia habere inter sese societatem: nobisq; cognata tam mansueta q̃ agrestia animalia non sine diuina quadam uoluntate esse. Vnde etiam leo tanq̃ deus colitur: & pars quædam Ægypti, quod pascuum uocant, a leone Leontopolites, alia a boue Busirites, alia a lupo Lycopolites appellatur. Vim

enim ac potentiam dei quæ in omnia diffunditur, per compaſcua animalia, quæ unuſquiſque deus exhibuerat, ita uenerabantur. Maxime autem ex omnibus elementis aquam & ignem colebant, ut pote quæ ſalutis noſtræ in cauſa præcipue eſſent: eaq́ꝫ in templis & ſacris oſtendebant. Quemadmodum etiam adhuc uſqꝫ in apertione ſancti Sarapidis per ignẽ & aquam cultus exhibetur. Qui enim hymnos canit, & aquam guttatim fundit, & ignem præmonſtrat, quãdo in limine ſtans patria Ægyptiorum uoce deum excitat. Hæc igitur maxime omnium uenerantur, utpote quæ ſacrorũ maxime participia ſint. Poſt hæc animalia omnia, immo etiam hominem in Anabe uico colunt, ubi ei quoque ſacrificia offeruntur, & in aris uictimæ cõcremantur. Non igitur paulo poſt ea comederent, quæ eodem in honore quo homo, habetur. Sicut enim ab homine, ita ab aliis quoqꝫ abſtinendum eſt. Adde quod ex præcellenti ſapientia, & conſuetudine quam cum diis habent, quibus diis quænã animalia grata magis quàm homines ſint, deprehenderunt: ut Soli accipitrẽ: cuius uniuerſam naturã ex ſanguine & ſpiritu conſtare aiunt: quemqꝫ homini miſereri, & deflere ſuper eius cadauere, ubi aliquãdo in id inciderit, terrãq́ꝫ in oculos ſpargere, in quibus ſolare lumen credunt inhabitare. Ac uiuere quidem eum in multos annos animad-

uerterunt:ubi uero è uita excesſit, uim diuinandi obtinere,eſſeq; cum abſolutus è corpore fuerit,maxime rationalem,ac futurorum præſagum. Nam & perficere deorum ſtatuas, & mouere templa aſſerunt. Scarabæum autem imperitus aliquis,diuinarumq; rerum ignarus contemnet, ac deteſtabitur:at Ægyptii tanquam animatam Solis imaginem uenerantur. Scarabæus enim maſculi tãtum ſexus cum ſit, ſemen in fimum emittit,atque id cũ in globum redegerit. poſterioribus pedibus conuoluit,non ſecus ac Sol cœlum,& octo & uiginti dierum circuitũ admittit,qui lunaris eſt. Simili modo de ariete, de crocodilo item, de uulture & ibi, atque omnino de ſingulis quibuſque animalibus philoſophantur:ut ex prudentia ac diuina ſapientia ad uenerationem & cultum cæterorũ etiam animalium proceſſerint. At imperitus ne illud quidem animaduertit, quo pacto iſti non communem hominum fluxum qui nihil cognoſcit,ſequuti in uiã ſtultitiæ etiam ipſi aberrarint: ſed uulgi ignorãtia in quã unuſquiſque primum incidit,ſuperata,quæ pleriſque in nulla erant exiſtimatione,ea ipſi digna eſſe cenſuerint,quibus cultus diuinus exhiberetur. Accedit quòd ad cultum hunc animalium illud quoque non minus quàm cætera quæ dicta ſuperius ſunt, ipſos inducebat:quòd uniuſcuiuſq; animalis animam ubi à corpore fuiſſet abſoluta,& ra-

tionalem esse perspexerant, & futuri præsciam, & uaticinatricem, effectricemq; omnium, quæ etiam homo liber à corpore præstare posset. Vnde meri to ea in honore habuerunt, ab ipsorumq; esu qua tenus fieri poterat, abstinuerunt. Cum multæ autẽ aliæ causæ sint, cur per animalia Ægyptii deos co luerint, quia tamen longior euasura esset oratio, si omnes recensendæ essent, quàm ut propositæ rei conuenire uideretur, hæc in præsentia sufficiant. Illud tamen prætermittendum non est: cum nobi lium cadauera condiunt, detractum separatim uẽ= trem in arca imponunt, atque unà cum aliis quæ pro intelligibili eius parte agunt, arca ad solẽ pro ducta ab uno pro eo qui conditur, protestante ora tio habetur: quam ex patria lingua Euphantus in hunc modũ interpretatus est: O domine sol, & dii omnes qui uitam hominibus tradidistis, me susci= pite, atque in æternorum deorum cohabitationẽ traducite. ego enim deos quos à parentibus colen= dos accepi, pietate semper prosequutus sum, quan= diu eo in æuo uitam traduxi: semperq; eos hono= raui, qui corpus meum procrearunt. ex aliis uero neque interfeci quempiam, neque deposito defrau daui, neque alio quopiã pernicioso malo affeci. Si quid uero in uita mea uel comedendo, uel biben= do ex iis quæ fas non erat, peccaui, id non per me sed per hæc peccaui, simul arca in qua uenter erat

com=

commoſtrata: atque hæc cum dixiſſet ille, arcam in fluuium proiiciebat. tum reliquum corpus utpote purum condiebant. Atque ita excuſatione ſibi opus eſſe apud deos exiſtimabant pro iis quæ comederant, aut biberant, ac propterea uentrem manifeſta hac contumelia afficiendum cenſebant. At uero Iudæi, anteq̃, & ab Antiocho prius inſtituta corũ labefactata fuiſſent, & poſtea à Romanis propemodum deleta, quando templum in Hieroſolymis captum, & cõculcatum ab omnibus fuit, quibus erat inacceſſum, & urbs penitus euerſa: à multorum aliorum animalium eſu abſtinebãt, ſed præcipue, quod ad hunc etiam uſque diem ſeruãt, à ſuillis carnibus. ac tres philoſophantium apud eos ſectæ habebantur: una Phariſæorum, altera Sadducæorum, Eſſæorum tertia, quæ uenerabilis maxime omnium eſſe uidebatur. Tertii hi uitam in hunc modum ducebant, ut diuerſis in libris Ioſephus teſtatur. Nam & in ſecundo Iudaicæ hiſtoriæ, quam ſeptem libris abſoluit, & in decimo octauo antiquitatum quas uiginti libris perſequutus eſt, & in ſecundo aduerſus Græcos, duo autem libri hi ſunt, mentionem de his facit. Sunt igitur Eſſæi Iudæi genere, qui mutuo amore amplius q̃ cæteri ſe proſequuntur. ii uoluptates tanquàm uitium auerſantur, continentiam uero, & affectibus non ſuccumbere uirtutem eſſe exiſtimant. Coniugium

gium quidem ipsi non admittunt, sed alienos liberos tenellos adhuc ad disciplinas excipiẽtes cognatos suos esse censent, ac moribus suis informant. atque id faciunt, non ut nuptias, & successionem sui in posterum tollant, sed ut mulierum petulantias euitent. Diuitiarum sunt contemptores. mirabilisq; apud ipsos communicatio bonorum est. neque uidere inter ipsos quempiam est, qui diuitiarũ possessione excellat: quippe cum lex eiusmodi ipsis sit, ut qui in collegium id ingrediatur, facultates suas in publicum ei proscribat. atque ita fit, ut in omnibus ipsis neque paupertatis humilitas, neque diuitiarum excellentia ulla conspiciatur: sed ex singulorum possessionibus commixtis una cunctis perinde ac fratribus facultas suppetat. Oleum maculam corporibus esse opinabantur: etiam si inuitus quispiam unctione eius corpus abstergeret. Squalere enim pulchrum apud ipsos censebatur: indumentaq; alba semper gestare præclarum habebatur. Communium rerũ procuratores ab omnibus indistincte singuli creantur, prout usus requisiuerit. Ciuitas ipsis una non est: sed in unaquaque multi ex ipsis simul degunt: apud quos aliunde aduenientibus modo eiusdem sectæ homines sint, omnibus aditus patet. Quiq; primum ipsos intuiti fuerint, perinde ac familiares agnoscunt. Vnde quotiescunque peregrinantur, nihil sum-

ptuum uidelicet cauſa ſecum afferre conſueuerũt. Nunquam neq; calceos, neq; indumenta permutant, niſi uel dirupta penitus, uel uetuſtate fuerint conſumpta. Neq; emunt, neq; uẽdunt quicquam: ſed unuſquiſq; datis iis quæ apud ſe ſunt, indigenti, ab eo contra quæ uſui ſibi futura ſint, recipit. Quin etiã ſine ulla huiuſcemodi retributione quæ opus ſunt, a quibuſcunq; uoluerint, accipere licet. Erga numen ſanè peculiari quodam modo pietatẽ exercent. prius enim quàm oriatur ſol, profanum nihil loquuntur, ſed patrias quaſdam preces, quã ſi ſupplicantes, ut oriatur, ad ipſum effundunt. Quod ubi factum eſt, ad artes ſinguli quas ſciũt, exercendas à præſidibus dimittuntur. atque ibi ad quintam uſque horam ſtrenue operati, deinde in unum locum omnes rurſus congregantur: in quo tegumentis lineis præcincti frigidis aquis corpus abluunt. poſt quam purificationem in proprium domicilium conueniũt: quò ingredi permiſſum nemini eſt, qui alterius ſectæ fuerit. Ipſi autem puri in cœnaculum quaſi in ſanctum quoddam fanũ procedunt. In quo ubi quiete omnes diſcubuerũt, ordine ſeruato piſtor panes, coquus unius opſonii uaſculum unum unicuiq; apponit. ante autem q̃ ſumatur cibus qui caſtus purusq; eſt, precatione quadam ſacerdos utitur, ante quam deguſtare cuipiam fas non eſt. Poſt prandium item preces ab

Z eodem

eodem adhibentur. tam enim incipientibus, quàm finientibus celebrandum deum sibi esse ducũt. Postea indumentis his quasi sacris depositis ad opera rursus redeunt: Quibus ubi ad uesperam usq; incubuerunt reuersi iterum simili modo hospitibus quoq; si forte iam aliqui aduenerint, simul discumbentibus coepulantur. Nullus clamor unquam, aut tumultus domum inquinat. Sed adeo modeste loquendi ac tacendi uices sibi mutuo præstant, ut iis qui extrinsecus sunt, silentium eorum qui sunt intus, quasi mirabile aliquod mysterium esse uideatur. Cuiusce rei in causa est asidua hominũ sobrietas, qui cibum & potum naturæ satietate metiebantur. Iis autem qui in societatem hanc admitti cupiunt, non statim aditus patet: sed eodem uictu seruato, sarculoq;, & femoralibus, & albo indumento accepto agendus extra annus est, quo in tẽpore ubi iam continentiæ suæ experimẽtum exhibuerint, propius accedunt, & ex purioribus ad sanctificationem aquis sumunt, licet nondum ad conuictum admittantur. Post enim hanc continentiæ demonstrationem duos alios annos in morum cõprobationem consumunt. quibus exactis ubi dignus uisus quispiam est, ita in collegium cooptatur. Prius tamen quàm communem uictum attingat, horrendum quoddam iusiurandum iurat: Primum, pie se numen esse ueneraturum: deinde iura

erga

erga homines seruaturum: neque ex consilio, neq; ex mandato læsionem cuipiam se esse illaturũ: iniustos se odio prosequuturum: iustis fauturum: fidem & obedientiam omnibus, sed præcipue dominantibus exhibiturum: quippe cum non absq; dei uoluntate hominibus principatus contingat: siq; ipse dominetur, nunquam potestate contumeliose se esse usurum: non uestitu, non aliquo alio ornatu splendidiore subditos esse superaturum: ueritatẽ semper amplexaturum, mendacioq; antepositurũ: manus à furto, & animam ab iniusto lucro purã se esse seruaturum: neque suos se collegas celaturum quicpiam, neque aliis quicquàm enunciaturum, etiam si ad mortem usque cogatur. Ad hæc iurat se nullo alio modo aliis decreta esse traditurum, quàm quo ipse acceperit: se à latrocinio temperaturum: se simili modo sectæ suæ libros, ac angelorum nomina diligenter obseruaturum. Ac iusiurandum quidem huiusmodi est: quod qui uiolant, & eiiciuntur, malo fato postea intereunt. iuramentis enim & consuetudinibus obnoxii ne apud alios quidem consequi alimentum queunt. unde herbam comedentes tandem fame consumpti pereunt. Vnde ipsi multos misericordia moti in extremis necessitatibus constitutos receperunt, pœnam peccatorum suorum in eo satis idoneam dedisse existimantes, quòd ad mortem usque afflicta

ti calamitatibus fuissent. Sarculum autem iis qui in sectam asciscendi sunt, ea de causa dare consue-uerunt: quia etiam ipsi alioqui exonerandi uentris causa non sessitant, nisi scrobem pedali altitudine defoderint, pallio'q; circum operuerint, ne splendore lucis appetente aliqua contumelia deos afficiãt. Tanta autem uictus eorum tenuitas ac paucitas est, ut septimo die, quem hymnis in deum & quieti totum dicarunt, nulla excrementorum exinani-tione indigeant. Ex qua quidem exercitatione tantam tolerantiam sibi compararunt, ut torqueri, & flammis & igne accendi, & omni demum crucia-tuum genere affici potius sustineant, quàm uel le-gislatori suo male dicere, uel comedere quicpiam uelint, quod præter consuetudinem suam sit. Id quod in bello aduersus Romanos præcipue con-spectum est: cum neq; adulari iis qui ipsos cruciarent, neq; lacrymas effundere ullas paterentur, sed subridentes in tormentis, & dissimulatione ad eos utentes qui supplicia inferrent, alacriter quasi rursus recepturi animas emitterent. Ea enim opi-nio rata apud ipsos est, sicut corpora corruptioni esse obnoxia, & materia instabili & caduca consta-re, ita animas esse immortales, ac perpetuo durare: ac cũ ex tenuissimo æthere discurrentes fluxu na-turali dectractæ corporibus coniunctæ sint, ubi è carneis uinculis relaxatæ fuerint, quasi à longa ser

 uitute

uitute liberas, tunc iam gaudere, ac sublimes ferri. Ex huiuscemodi porrò uictu, atque hac in ueritate & pietate exercitatione merito fit, ut ex ipsis multi reperiantur, qui & futura præn oscant, utpote in libris sacris, & uariis castimoniis, & prophetarum enunciatis ab ineunte ætate uersati, & raro in prædictionibus aberrent. Atque Essæorum quidē apud Iudæos secta huiusmodi est. Omnibus sanè erat interdictum, ne ex suilla carne ederent, aut piscibus squammis carentibus, quos carthilagineos uocamus, aut ex iis quadrupedibus, quæ ungulā solidam haberent. Vetitum quoque ipsis erat interficere, nedum comedere ea animalia quæ quasi supplicarent, atq; ad domos confugerent. Parentes item unà cum pullis occidere legislator nō permittebat. Parcēdum quoque uel in hostili regione animalibus iusserat, quæ nobiscum cooperarent, cauendumq; à cæde eorum perpetranda. neq; uerebatur, ne in nimiam copiam excrescens animalium genus, quæ non mactarentur, hominibus famem induceret: quippe qui optime nosset, primū, multipara eius naturæ esse, ut breui tempore durarent: deinde, multa esse animalia, quæ si cura hominum destituatur, facile intereant: alia præterea esse, quæ multitudini excrescenti resistant. Cui rei illud argumento est, quod licet à multis abstineamus, utputa lacertis, uermibus, serpentibus, cani-

bus,non timendum tamen propterea sit, ne ex ab stinentia fame pereamus. Adde quo'd nimis excre scentia comedere & interficere idem non est. nam cum pleraq; ex his occidamus, nihil ex ipsis gustã dum nobis esse ducimus. Iam uero Syros quoque antiquitus ab animalibus abstinuisse, atque ideo neque diis ea mactare consueuisse memoriæ prodi tum est. postea uero licet ad quorundam malorum auersionem procurandam ea sacrificarint, nũquàm tamen eò adductos, ut carnium esum admiserint. Processu autem temporis, Neanthes Cyzicenus, & Asclepiades Cyprius inquiunt, tempore Pigma lionis qui cum genere esset Phœnix, Cypriorum etiam imperium obtinebat, ex huiuscemodi piacu lo carnium esum fuisse introductum. Asclepiades enim in libro de Cypro & Phœnice in hunc mo- dum inquit. Principio sanè nullum animatum diis sacrificari consueuerat: quin neque ulla de hoc lex erat, propterea quòd naturali lege esset prohibitum. Quibusdam autem temporibus ferunt cum ani- ma pro anima repeteretur, primam uictimam fuis se sacrificatam, ac totam flammis consumptam. Quod quidem sacrificium cum postea fieret, ac ui ctima cõcremaretur, ex ea carnis frustulum in ter- rã decidisse: sacerdotẽ uero qui astabat, confestim id sustulisse: cumq; ignita carne digitos adussisset, eos forte ori admouisse, ut adustioni remedium

quo

quoquomodo afferret: atque ita cum ex assa carne degustasset, edere ex ea mirum in modum appetiuisse: atque hoc pacto esum carnis & ipsum fuisse aggressum, & cum uxore etiam communicasse. Pygmalionem autem, cum id resciuisset, ipsum unà cum uxore morte mulctandum censuisse, atque è rupe præcipitem dandum iussisse, alterum autem sacerdotio præfecisse: qui cum non multo post intercedẽte tempore idem sacrificium faceret, eo ꝙ ex iisdem carnibus comedisset, eodem supplicio quo ille, ipse etiam fuerit affectus. Sed cum ulterius res progrederetur, & homines sacrificio uterentur, cupiditateq́; inducti à carnibus non abstinerent, sed ipsis omnino uescerentur, pœnam tãdem inferri desiisse. Abstinentia tamen à piscibus usque ad Menandri comici tempora apud Syros permansit. Inquit enim.

Syros in exemplum sume, quando ederint
Pisces ex aliqua nimia intemperantia.
Ipsis continuo pedes, ac uenter tumet.
Vnde ipsi sumpto sacco, atque in propatulo
In uili abiecti considentes stercore
Demissione sic humili placant deam.

Apud Persas quidem, ii qui in diuinis sapientes sunt, ac numen colunt, Magi appellantur. Id enim eorum lingua nomen significat. Hoc apud Persas adeo magnum ac uenerabile genus hominum habet̃, ut

ut Darius quoque Hystaspis filius monumento suo præter alia etiam illud inscribendum curarit, quòd magicorum doctor fuerit. Ii in genera tria erant diuisi, sicut inquit Symbulus, qui historiam de Mithra multis libris conscripsit: quorum primi qui etiam doctissimi erant, animatum neq; comederent, neq; occiderent, sed in prisca illa animalium abstinentia perseuerarent: secundi uero comederent quidem, non tamen ex mansuetis animalibus aliquod occiderent. Tertii promiscue non secus atq; alii, omnibus manus inferrent. Decretum enim apud primos habetur de animarum in diuersa corpora transmigratione. id quod etiam in Mithræ mysteriis uidentur significare. Vt enim communionem nobis esse cum cæteris animalibus innuant, cæterorum animalium nominibus indicare nos consueuerunt, dum eos qui eorundem sacrorũ sunt participes leones, mulieres leænas, ministrantes coruos appellant. & in patribus simili modo. hi enim aquilæ & accipitres nuncupantur. & qui leonina assumit, uarias animalium formas sibi imponit. Quorum causam afferens Pallas in iis quæ de Mithra tradit, communem hominum opinionem esse inquit, ut ad zodiaci orbis naturam hæc referenda iudicentur: re uera autem de hominum animabus arcana quædam significari, quas diuersis corporibus contineri asserunt. Nam & Latinos

quoſdam ſua ipſorum lingua apros,& ſcorpios,& urſos,& merulos uocare. Quin etiam deos hos opifices ita nuncupant,ut Dianam lupam, Solē lacertũ,leonē,draconē,accipitrem, Hecaten equum, taurum,leænam,canem nominent. Proſerpinæ autem,hoc eſt φερεφάττης uocabulũ ἀπὸ τοῦ φέρβειν τὴν φάτταν, hoc eſt à nutrienda palumbe plerique theologi interpretantur: quippe cum ſacra ipſi palumbes ſit. Vnde etiam ipſæ Maiæ ſacerdotes,eam ipſi dedicant. Maiam autem eandem eſſe quæ Proſerpina,nemini dubium eſt: utpote quæ μαῖα hoc eſt nutrix omnium ſit. terreſtris ſiquidē dea eſt, quæ & Ceres. cui quoque gallum conſecrarunt. Vnde quoque effectum eſt, ut eius ſacerdotes à domeſticis auibus omnino abſtineant. Nam præcipitur ēt in Eleuſiniis,ut & à domeſticis auibus,& piſcibus, & fabis,malis item & punicis & noſtratibus abſtineant: quarum ſtipitibus contactis perinde inquinantur,ac ſi mortua animalia contrectaſſent. Quicunque autem uiſionum quæ φάσματα appellāt,naturam perſpectam habet,is nouit quā ob cauſam ab omnibus auibus abſtinēdum ſit: præcipue cum quis à terrenis abſolui, & ad cœleſtes deos tranſferri ſtuduerit. Sed improbitas,id quod ſæpe iam diximus, mirum in modum ad patrocinandum ſibi idonea eſt,præſertim cum inter ignaros rerum uerba facit. Propterea enim fit,ut qui improbi me-

diocriter sunt huiuscemodi monitionem alii uanitatẽ,& quod in prouerbio est,aniles nugas, alii superstitionem esse existiment: qui uero in sua prauitate iam processerunt,non solum prompti paratiq; ad maledictis incessendum eos qui hæc consulũt, ac docent:uerum etiã castũ & abstinentẽ hominẽ quasi arrogantem & præstigiatorem uituperare nõ dubitant. Sed isti sanè & apud deos & homines cum meritas scelerum suorũ pœnas luant,sua hac primum animi deprauatione satis idoneo supplicio afficiuntur. Nos uero ubi unius adhuc ex alienigenis gentibus,quæ celebris sit, iustaq; & erga deos pia habita fuerit,mentionem fecerimus,ad reliqua descendemus. Nam cum Indorum respublica in multas partes distributa sit,genus quoddam sapientum apud ipsos est,quos Græci Gymnosophistas uocare consueuerunt. Horum duæ factiones sunt, Brachmanum altera, altera Samanæorum. Brachmanes per generis successionem, non secus ac sacerdotium huiuscemodi diuinam sapientiam admittunt. Samanæi selecti quidam sunt, & ex quibuslibet qui diuinæ sapientiæ se tradere uoluerint,constant. Eorum uita ad hunc modum est: quemadmodum Bardesanes Babylonius memoriæ prodit, qui maiorum nostrorum tempestate extitit, cum illisq; Indis est uersatus,qui cum Damadami missi ad Cæsarem fuerant. Brachmanes enim

omnes

omnes unius sunt generis,ex unius patris,uniusq; matris origine omnes deducti. Samanæi uero nō ita, sed ex omni Indorum gente, ut iam diximus, collecti. Neq; igitur sub regno degunt Brachmanes, neq; cum aliis munus ullum obeunt. Sed ex ipsis ii qui philosophi sunt,alii in monte,alii apud Gangem fluuiū habitant. Ac montani quidem pomis, & lacte bubulo herbis coagulato uescuntur. Fluuiales ex pomis etiam ipsi uictum comparant, quæ multa apud fluuium nascuntur. terra enim fere semper recentes fructus producit: quin etiam oryzæ copiam sponte procreat: qua si quando poma defecerint,uti quoque in cibo solent. Aliud uero quicpiam degustare,aut alimentum ex animatis uel omnino tangere immunditiæ extremæ atq; impietati non dissimile apud ipsos habetur. Cultū Deo religiose ac pie exhibent. Maiorem enim diei ac noctis partem hymnis in deos ac precibus dicarunt. Singuli tamen in propriis tuguriis manēt: & quàm maxime fieri potest soli morantur. Simul enim uersari Brachmanes, ac multū colloqui non admodum patiuntur. sed cum id forte contigerit, recessione inde facta in multos dies postea non loquūtur. sæpe etiam ieiunant. Samanæi uero electi, ut diximus, sunt. In quorum collegium cum quispiam est asciscendus, ad principes ciuitatis, aut uici, cuiuscunque fuerit, accedit, atq; ibi bonis suis, fa

cultatibusq; omnibus repudiatis, ac superuacua omni corporis parte detonsa stolam accipit. atque ita nulla neq; uxoris, neq; liberorũ, si forte adsint, ratione habita, quasi ad se nihil omnino amplius pertineant, ad Samanæos recedit. Regi liberorum educandorum, cognatis uxoris cura relinquitur. Vita Samanæorum huiusmodi est. Extra urbem commorantur, ac totũ diem in diuinis colloquiis traducunt, ubi domos & fana a rege extructa habent: in quibus œconomi constituti sunt, qui certam quandam mercedem ad conuenientium alimẽtum a rege accipiunt. Victus eorum ex oryza & pane, & pomis, & oleribus apparat. Nam cum ingressi in domum fuerint ad tintinabuli signũ Samanæi preces effundunt: quod ubi fecerunt, signo iterum dato ministri singulis lance oblata, duo. n. ex eodem uase non comedũt, oryza ipsos pascũt. si quis uarietatẽ aliquam requirat, olus, aut pomorum quicpiam apponitur: quibus sane celeriter uescuntur. Tanta autem & ipsi & Brachmanes in ueneratione apud alios sunt: ut rex quoq; interdum ad eos accedat, rogetq; ut pro statu regionis deũ precentur, aut quid agendum sit, consulant. Ipsi autem ita erga mortem affecti sunt, ut uiuendi tempus quasi necessarium quoddam naturæ ministerium inuiti sustineant, atque ideo animas à corporibus festinent absoluere. Ac sæpe ubi bene se habere

bere conſpexerint, nullo malo urgente e uita dece- dant, re tamen aliis prænuntiata: nullusq; ſit qui prohibeat, ſed omnes eos beatos prædicantes ſuis quiſq; domeſticis morituris mandata quædam trā- dant. adeo ſtabilem ac ueram & ipſi & plerique ani mabus inter ſe poſt obitum uitam eſſe crediderūt. Illi autem ubi mandata ſibi commiſſa perceperūt, corpore in ignem coniecto, ut puriſsimam a cor- pore animam ſecernāt, ab omnibus celebrati mor- tem obeunt. Æquiori enim animo illos amici ac propinqui ad mortem dimittunt, quàm alii homi- nes ſuos quiſque ciues in non admodum longin- quas peregrinationes: ac ſe ipſos qui in uita ſuper ſtites remanſerint, deplorant, illos beant, quippe qui immortalem ſortem iam receperint. Neq; quiſ piam aut apud hos, aut apud alios quos ſuperius cōmemoraui, ſophiſta ac declamator procedens, quales multi apud græcos nunc ſunt, dubitare ui- ſus eſt, ac dicere, ſi uos omnes imitabuntur, quid nobis eueniet? neq; propter hos humanæ res con fuſæ ſunt. Nam neq; omnes hos ſunt imitati: & qui imitati ſunt, ordinis potius & tranquillitatis, q̄ confuſionis populis in cauſa extiterunt. At enim neq; lex his neceſsitatem ullam afferebat, ſed cum aliis permitteret, ut carnibus ueſcerentur, hos ſui iuris ut eſſent, reliquit, & quaſi ſe ſuperiores uene rata eſt. neq; enim hos quaſi iniuſtitiæ perpetrato-

res, pœnæ quam irrogat, subiecit, sed alios. Ad eos tamen, qui quid euenturum sit, requirunt, si omnes huiuscemodi hominum uitam imitentur, illud Pythagoræ respondendum est. si enim omnes essent reges, efficeretur, inquit, ut difficulter uita traduci posset, neq; tamen propterea fugiendum regnum est. Sic quoque si omnes probi sint, reipublicæ quidem expediendæ ac disponendæ modus nullus reperietur, in qua sua probitati seruãda dignitas sit. At nemo tamen sanè adeo insaniret, ut non omnibus conuenire existimaret, ut probi euadere studeant. Multa siquidem etiam alia uulgari ac confusaneæ turbæ concedit, quæ ne dum philosopho, sed ne recte quidem ciuitatem administranti permitteret. Nam licet neque ex omni arte ad administrationem reipublicæ admittat, nõ uetat tamen, quin illæ exerceantur. sordidarum tamen artium opifices à magistratibus, atque omnino ab earum rerum præsidentia arcet, in quibus iustitia, aut reliquæ uirtutes requiruntur. Sed neque cum meretricibus rem habere plerisq; interdicit: quin etiam à meretricibus mercedem exigens, infamẽ tamen esse ac turpem earum congressum modestis hominibus censet. In Cauponis item uitam traducere non prohibet: nihil tamen propterea obstat, quin id maximo opprobrio ingenuis hominibus habeat. Idem in uictu quoq; fit. Non enim qui uulgo per

mittitur, is optimis quibusq; etiam esse conceden dus uidetur. Nã philosophus uir sacras præcipue sibi leges præscribit, quas dii, & homines deos se quuti constituerunt. Sacræ autem leges per singu las gentes & ciuitates illæ extiterũt, quæ sacris ho minibus & castimoniam iubent, & animatorum esum interdicunt: quin etiam multitudinem à qui busdam prohibent, uel pietatis causa, uel læsionis, quæ ex alimento euenit. Quam ob rem uel sacer dotes sunt imitandi, uel omnibus legislatoribus obtemperandum est. Vtrolibet enim modo fiet, ut qui iustus ac pius perfecte est, abstinere ab om nibus debeat. Si enim à quibusdã nonnulli ob pie tatem abstinent, ab omnibus proculdubio sibi ab stinendum censebit, qui pius in omnibus fuerit. Sed ferè Euripidis illud subiungere oblitus fuerã, ubi ab esu animatorum uates Iouis in Creta ab stinere inquit, his uersibus: loquitur enim chorus ad Minoem:

Phœnice iuuenis oriunde alma o Iouis
Supremi, & Europæ soboles, centum urbibus
In Creta inhabitata imperii sceptrum obtinẽs:
Veni sacrata linquens templa, quæ obstruit
Inde orta quercus & bipenni ferrea
Præfecta, claustrisq; apta cyparissinis.
Idæi ab illo ex quo sacerdos sum Iouis
Traduco castam uitam: & orgia amplius

Nocturna

Nocturna Bacchi, nec dapes crudas sequor,
Matri'ue montanæ igneas faces gero.
Sed indumentis exornatus candidis
Generationem respuo mortalium.
Vito sepulcra mortuorum attingere.
Et caueo, ne ex animatis quicpiam unquã edã.

Puritatem enim sacri uiri incommixtionem, sicut è contrario impuritatem & inquinationem mixtionem esse statuunt. Vnde alimentum ex fructibus cum ex mortuis sumptum non sit, neque ex animatis, naturæ exhibẽtes, inquinari ea quæ à natura administrantur, minime putabant. Animaliũ uero quæ sensu prædita sunt, cædes, atque animarum detractiones inquinationem uiuentibus afferre existimabant: ac multo etiam magis cũ corpus quod sensiuum erat, priuatum sensu ac mortuum cum sensu uiuentibus commiscebatur. Atq; icc irco castimonia ac puritas in omnibus in multorum & cõtrariorum depositione, & abstinentia, cognatorum uero, & accommodatorũ in solitudine & assumptione consistit. Vnde etiam Venerea inquinant, cum fœminæ ac maris coitus fit. Siue enim semen concipiatur, ex coniunctione cũ corpore, siue non concipiatur, ex mortificatione eius quod apponitur, animæ inquinationẽ affert. Marium autem cum maribus congressio dupliciter cõtaminat, & quia in mortuum fit, & quia præter

naturam

naturam existit. Atq; omnino uenerea, seminisq; emissiones ex eo etiam polluunt, quod anima corpori commiscetur, ad uoluptatemq; deorsum trahitur. Affectus quoq; animæ inquinant, cum irrationali parti perturbate innectitur, ac mas effœminatur. Nam inquinationis quoque & pollutionis nomen rerum diuersarum genere mixtionem inter se quodam modo significat, præsertim cum infectio quædam eiusmodi consequitur, quæ abstergi difficulter admodum queat. Vnde in tincturis etiam, quæ ex mixtione existunt, cum altera species alteri confunditur, inquinare appellant. Non secus ac mulier, inquit Homerus, tyrio quæ ebur inquinat ostro. Quin etiam pictores mixtiones corruptiones uocant. Communis item consuetudo quod incommixtum & purum est, incorruptum & sincerum & impollutum dicit. Terræ enim aqua commixta corrumpitur, & sincera amplius non est. Quæ uero fluit, ac cursu incitato fertur, occurrentem terram reiicit: quæ, ut inquit Hesiodus, fluit illimis manans è fonte perenni. ea enim quia incorrupta & incommixta est, salubrem potum exhibet. Sic fœmina quæ nullam seminis in se exhalationē mixtionemq; admiserit, incorrupta dicitur. Quare corruptio etiam & inquinatio contrarii mixtio est: hoc est mortuorum in animalia, & eorum quæ sensu uixerunt, in uiuentia, & carnium mortuarū

in uiuentes iniectio merito naturæ nostræ pollutionem & inquinationem inducit. Quemadmodū anima quoq; cum corpori coniungitur, inquinatur. Vnde etiam & qui nascitur, ex mixtione animæ cum corpore, & qui moritur, ex eo pollutionē contrahit, quo'd corpus mortuum alienum a uiuente ac diuersum relinquit. Contaminatur item anima ira, & cupiditatibus, & perturbationum multitudine, quarum in causa etiam uictus esse quodā modo consueuit. Sicut enim aqua quæ per saxa præterfluit, ea quæ per paludes currit, incorruptior est, utpote quæ multum limum non trahat: ita anima quæ per siccum corpus, non alienarum carnium succis fluxum sua administrat, melior, & incorruptior, promptiorq; ad intelligentiam est. quippe cum apibus quoq; optimum mel afferre dicant thymum quod & siccissimum, & acrimonia maxime præditum fuerit. Inquinatur igitur etiam cogitatio, immo cogitans cum uel imaginandi, uel opinandi facultatibus operationibusq; commiscetur. Purificatio autem & sanctimonia separatio ab omnibus his, & solitudo est, & alimentum quod in sua essentia unumquodque conseruat. Ita enim & lapidis nutrimentum recte dices, quod in causa est, ut esse in forma sua perseueret: & plantæ, id quod in augescendo & fructificando ipsam conseruat: & corporis animalis, quod constitutionem eius tuetur.

tur. Aliud ſiquidem eſt alere & neceſſaria exhibere, aliud luxus ſuppeditare. Pro diuerſitate igitur eorũ quæ nutriuntur, diuerſa quoq; alimẽta ſunt. Et omnia ſanè ſunt nutrienda:dãda tamen eſt opera,ut quæ in nobis præcipua ſunt, alantur,& pinguesc ãt. Rationalis itaq; animæ nutrimẽtũ quo q; eſt, ꝙ rationalem ipſam cõſeruat:id aũt mens eſt: mente igitur eſt nutrienda:magisq́; ſtudẽdum eſt, ut mente ipſam,quàm cibis carnẽ impinguemus. Mens enim æternam uitam nobis conſeruat.Corpus autem pinguefactum facit, ut anima fame beatæ uitæ laboret:mortalemq́; naturã nobis auget, quæ inſana cum ſit,immortali uitæ eſt impedimento: animam item incorporans, ac deorſum in alienam naturam trahens, inquinat, ac contaminat. Ac magnes quidem lapis ferro prope appoſito animam tradit:& ferrum quod grauisſimum eſt, leue redditur, ſpirituq́; lapidis ſubleuatum accurrit. Ad deum uero incorporeum & intellectualem ſuſpenſus quiſpiam de alimento ſcilicet multum cogitabit,quo quod menti impedimento eſt,corpus pinguescat? & non potius in anguſtum admodum & parabile necesſitate carnis contracta ipſe nutrietur deo magis inhærens,quàm ferrum magneti?Si.n. fieri poſſet, ut ab alimento quoque ex fructibus abſque negocio abſtineremus, ſiq́; id natura noſtra corruptibilis non requireret: nam ſi, ut inquit

Homerus, neque cibo, neque potu indigerèmus, ut re uera essemus immortales: id enim recte à poeta dictum est, ut non tam uiuendi, quàm moriendi quoque occasionem attulisse alimentum significaret. si igitur neque huiuscemodi alimento nobis esset opus, tanto essemus beatiores, quanto & immortaliores. Nunc uero cum in mortali simus, adhuc mortaliores, si ita dicendum est, nos ipsos adhærendo ei imprudenter reddimus: cum anima, ut inquit Theophrastus, corpori nõ multam mercedem habitationis in eo pendat, sed se ipsam totã insuper adiungat. Sed utinam fieri posset, ut uitã quæ in fabulis dicitur, fame & siti prorsus carentem ageremus: ut unusquisque fluxu corporis cohibito ex breuissimo interuallo in optimis uersaretur: in quibus deus cum sit, est deus. At enim quid hæc deplorare apud homines eos debemus, qui adeo tenebris sunt inuoluti, ut & malum suum foueant: & odio prosequãtur primum seipsos, & qui re uera ipsos genuit, deinde eos qui cõmonefaciũt, atque ut ex ebrietate resipiscant, hortantur, atque incitant? Iccirco rectius fortasse erit, ut his omissis ad reliqua quæ restant excutienda transeamus. Nam qui ad gentium instituta quæ exposuimus, Nomadas, uel Troglodytas, uel Ichthyophagos opponunt, ii uidentur ignorare huiuscemodi populos ex regionis infœcũditate quæ adeo sterilis est,

cauti-

cautibusq; atque harenis obsita, ut ne herbas quidem ullas producat, ad hanc alimenti necessitatem fuisse inductos. Cui rei illud argumento est, quod neque igne ob inopiam materiæ & lignorum uti possunt: sed in saxis sole feruentibus, & harena pisces torrent. Atque hi quidem necessitate coacti ita uiuunt. Quod si nationes aliquæ reperiantur, quæ immanes, atque efferatæ natura sint, non propterea conuenit, ut ex illis æquus rerum æstimator toti humano generi calumniam inferat. Nam eo modo non tam cæterorum animalium, q̃ hominum quoque esus, reliquaq; omnis feritas in controuersiam uentura est. Massagetas enim & Derbicas historiæ tradunt, ex cognatis suis eos existimare miserrimos, qui naturali morte è uita decesserint: atq; iccirco senes suos præuenientes mactare ac comedere. Tibareni propinquissimos suos senes adhuc uiuentes e rupibus præcipitant. Hyrcani & Caspii, alii uiuentes, alii mortuos auibus & canibus deuorandos exponunt. Scythæ uiuos simul sepeliunt, & supra rogum iugulant eos, quos mortui præcipue dilexerunt. Bactriani eos qui cõsenuerunt, uiuos canibus proiiciunt. Quam quidem consuetudinem cum abrogare tentasset Stasanor Alexandri præfectus ferè imperiũ amisit. Sed sicut neque horum exemplo humanitatem erga homines exuendam censuimus: ita neque sequi

eas nationes debemus, quæ necessitate carnibus uescuntur. Sed illi imitandi nobis sunt, qui pie se gerunt, diisq; magis addicti uitam traducūt. Male enim uiuere & non prudēter & temperanter & sancte, Democrates esse non male uiuere, sed diu mori asserebat. Restat, ut singulorum uirorum pauca quædam abstinentiæ testimonia proferamus. Vnum enim etiam hoc erat, quod obiiciebatur. Legislatorum Atheniensium Triptolemum uetustissimum fuisse accepimus: de quo Hermippus in secundo de legumlatoribus libro in hunc modum scribit: Aiunt etiam Triptolemum Atheniensibus leges sanxisse. Ex legibus eius tres adhuc sanctiones Eleusi extare Xenocrates Philosophus asserit. Parentes honorare: Deos fructibus colere: Animalia non lædere. ac duo quidem recte fuisse instituta ait. debemus enim & parentibus quippe qui de nobis optime meruerunt, uicissim pro uiribus gratias reddere: & diis ex iis quæ utilia ad uitam nobis largiti sunt, primitias offerre. De tertio inquirendum putat, quid sibi uoluerit Triptolemus, cum ab animalibus abstinēdum præceperit. utrum quia omnino esse indignum opinabatur, ut cognata interficerent: an quia euenire animaduertebat, ut utilissima animalia in cibum ab hominibus sumerentur. Cum uellet itaq; mitem hominum uitam reddere, dedisse operam, ut quæ cum homini-

hominibus degerent animalia, maximeq́; eſſent manſueta, conſeruarentur. Niſi fortaſſe quia cum fructibus deos colendos iusſiſſet, cultum hunc magis ratum fore exiſtimarit, ſi diis ex animalibus ſacrificia minime fierent. Cũ uero multæ etiam aliæ cauſæ huiuſce ſanctionis a Xenocrate non admodum exquiſitæ illæ quidem afferantur, nobis tantum ex his illud ſatis eſt, ꝙ hoc inſtitutum a Triptolemo etiam fuiſſe cõſpicitur. Vnde poſtea iniuſte ſe gerentes ubi animalium eſum aggresſi ſunt multa cum necesſitate, & peccatis inuoluntariis, ſicut demonſtrauimus, ad huiuſcemodi conſuetudinem prolapſi ſunt. Nã Draconis quoq; lex huiuſmodi memoriæ proditur. Ius æternum Atticam incolentibus quod ratum in omne tempus habeat. Deos uenerationi eſſe & heroas indigenis in publico leges patrias ſequentibus, & priuatim pro uiribus, cum bona uerborum auſpicatione, & fructuum primitiis, libisq́; anniuerſariis. Vbi primitiis fructuum quibus ueſcitur homo, & libis uenerandum eſſe numen lex iubet.

FINIS.

Venetiis apud Ioan. Gryphium.
M D XLVII.

BIBLIOTECA ... VITT. EMANUELE

Collectæ. 16. a. 10. ab omnibusq́; 18. b. 26. autem 19. b. 16. appetitioni. 20. a. 21. ſentientes potius. 30. b. 7. eſſet futurus 40. b. 2. cultrum. 40. b. 9. interpellati. 48. b. 19. κα τω πατρ 60. a. 14. caſtitatem 63. a. 12. autem 68. a. 5. exquiſite 71. b. 17. columbæ. 72. a. 23. diſcordibus 76. b. 20. aſſentiantur. 77. b. 10. cicurāda. 80. a. 5. ſignificaret. 84. a. 11. deſtituātur. 91. a. 24.

Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico
PESCARA
1471